

99 7 247





80

O R A T I O
DE PERIODIS
ET MUTATIONVM
CAVSIS IN IMPERIIS.

HABITA A DOCTISSIMO VIRO,
MAGISTRO EVSEBIO MENIO PROFESSORE
publico, & collegij Philosophici in Academia Vvite-
bergenſi Decano, cum tribueret teſtimonium publi-
cum Quinquaginta quinque honeſtis & doctis
viris & iuuenibus, 13 Martij, An-
no 1571.

ADDITA EST QVÆSTIO DE IV-
STICIA FIDEI, QVOMODO HOMO IVSTIFICE-
tur coram Deo, & quæ ſit natua & genuina ſententia particula-
rum excluſiuarum: Oppoſita recenti ſophiſticæ Flacianorum ob-
ſcuranti & peruertenti illuſtrem doctrinam de hoc articulo Euan-
gelij, quam rectè ſentientes Eccleſiæ deſenſam contra Ponti-
ficios hucusque conſtanter retinuerunt.

*Cum reſponſione ad quæſtionem propoſitam
Doctõris Caſparis Crucigeri.*



VVITEBERGÆ
Excudebant Clemens Schleich & An-
thonius Schöne,

DE PERIODIS

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



742 F 99

§



ORATIO.

Σὺν θεῷ καὶ τυχῆ ἀγαθῇ.



Xtat apud Esaiam Prophetam promissio facta voce diuina Ecclesiae, senecta ærumnis & calamitatibus fractæ atq; fathiscenti: qua amoris diuini & misericordiae magnitudo erga Ecclesiam tali conditione & statu, tanta quanta nusquam alibi exprimitur verborum & figurarum Emphasi, quæ à flagrantissima Storge matrum & vtero gerentium, ac posteaquam enixæ sunt, affectione erga sobolem, cura, sollicitudine, complexibus, gestu denique sumta, illustri exemplo ceu in pictura oculis conseruationem Ecclesiae demonstrât. Audite, inquit Dominus, Domus Iacob & residuum domus Israël, id est, reliquiae oppressæ, deuastatæ ac dispersæ Ecclesiae postremo deliroq; & effæto ac languido mundi seculo, qui portamini à me ab vtero, qui gestamini in sinu & gremio meo. Vsq; ad senectam Ego Ipse sum vobiscum, & vsq; ad canitiem ego portabo. Ego feci, & ego feram: Ego portabo & saluabo. Et maternam storgen cum sua conferens Philostorgia, Nunquid, inquit, obliuisci potest mulier infantis sui, vt non commoueatur misericordia erga filium vteri sui? Sed si illa fuerit oblita, Ego tamen non obliuiscar tui. Deniq; si hæreat in poenis Ecclesia, oppressa calamitatibus propter peccata, quam ob causam, & quo fine, ab ira se iustissima reuocare ad lenitatem velit & misericordiam, ostensurus, addit: EGO Ego sum qui deleo ἀνομίας tuas ppter me, Propter nomen meum differam furorẽ meum, & propter laudem meam reprimã iram meam, ne intereas. Propter me inq; propter me faciam, vt non contumelia afficiar. Nec gloriam meam tribuam alteri.

A ij In

In hanc promissionem, illustribus iræ ac misericordiæ
diuinæ testimonijs refertam, oculis animisq; defixi, vt
vim imminentis sæuæ tempestatis votis effugiamus,
assiduo gemitu imploremus & exposcamus confirma-
tam obsignatamq; morte & resurrectione Filij I E S V
CHRISTI misericordiam Dei Patris, supplicibus
cum Dauide precibus effusis, ad quas in hac ipsa pro-
missione respicit Propheta: Ne abijcias me in tempore
senectutis meæ, cum defecerint vires meæ, ne derelin-
quas me.

Vtrumq; quod prædictum nouimus, euentur com-
pleri cernimus. Incidit infelix seculum nostrum in
mundi feces, fœcundas prouentu impietatis, Prophanis-
tatis, Tyrannidis, impuritatis, & confusione quadam at-
que colluue malarum artium, flagitiorum ac scelerum
rebus bonis infestas ac perniciosas. Ecclesia consumta
ætate, & senili quasi marcore extabescens, cum sua dum
conflictatur imbecillitate, & huic oportuna dum quæ-
rit remedia ac salutaria ex fontibus Israel, Interea diris
atq; abominabilibus furiarum in impijs dogmatibus im-
petitur ac personat latratibus, & Tyrannorum sæuitia
atq; immanitate laceratur horribiliter. Ipsa verò Regna
mundi passim & suis ac domesticis quassata motibus, &
armis impulsa externis, nutant quasi iam iam ruitura, &
mole sua Ecclesiam etiam hinc inde dispersam oppres-
sura. Nec minuuntur hæc mala, Sed aliam subinde ex
alia tempestatem concitat hostis Filij Dei Diabolus, ve-
tus & immane odium summo postremoque conatu ex-
acuens.

Etsi autem in his tantis malis Ecclesia, & suis languis-
da morbis, & perpetuo luctu squallida, & cruenta par-
ticidijs, & dissipationibus lacera, & vaga exilijs, & atro-
cibus

cibus hostium terroribus pauca deformem circumfert
speciem: Non extinguitur tamen prorsus, nec contice-
scit, Sed certissima promissi diuinitus auxiliij fiducia re-
spirans, ex medijs sese erigit rursus atq; effert ærumnis,
pertexens institutas in doctrinæ cœlitus traditæ propa-
gatione & nominis diuini celebratione operas. Ac cer-
tum est, quantiscumq; vel confusionum quasi fluctibus
exagitata, vel ruinis imperiorum perculsa, vel imbribus
ac procellis obruta persecutionum fuerit, nunq; tamen
interituram esse in genere humano: Sed Deum affutu-
rum esse suo cœtui maturis & oportunis auxilijs, ac præ-
stiturum defensionem & liberationem, Sicut testatur
hæc ipsa promissio per Esaiam patefacta: Vsq; ad sene-
ctam EGO IPSE sum vobiscum, & vsq; ad canitiem
EGO portabo. Et Filius DEI inquit: Ero vobiscum
vsq; ad consummationem seculi.

Sed cum expressè addiderit Deus, Propter SE &
propter NOMEN suum se seruaturum Ecclesiam, id
est, vt IPSE innotescat ac celebretur, Ad eum cœtum
promissionem pertinere statuamus, qui Deum recte
agnoscit & colit, sicut se patefecit, qui retinet funda-
mentum Prophetarum & Apostolorum, nec affingit
opinionem aut interpretationem pugnantem cum funda-
mento, & Sacramentis vtitur, sicut instituta sunt.

Hæc cum apud nos fiant, certo statuamus, & nos-
tras Ecclesias vera ac viua membra esse corporis Chri-
sti, & DEO curæ esse, & hæc ipsa beneficia, quæ in
nos ex inexhausto fonte Misericordiæ ac benignitatis
diuinæ cumulatim deriuantur, qualia sunt, Conseruatio
puræ doctrinæ Euangelij & aliarum artium necessaria-
rum: Verus de Deo consensus: Studia & exercitia non
simulata: Virtutum omnium: Salutaris gubernatio: Pax:

A iij

Tran-

Tranquillitas publica : mediocris copia rerum fruendarum : Hæc, inquam, beneficia verè statuamus esse testimonia certissima præsentia Dei apud nos, ac pro his DEO gratias agamus, & ardentè oremus, vt hæc bona velit & nobis & posteritati nostræ esse perpetua. Densæ nubes atra caliginè obscuræ & imbribus turbibusq; fœtæ coëunt & conglobantur omni ex parte, quæ tenebras horrendas luci Euangelicæ, diras tempestates Ecclesijs, in quibus hæc fulget, minitantur : Nec vim tantarum tempestatum vlla poterit auertere vel sapientia vel potentia humana.

Arripientes itaq; promissionum diuinarum firmissimum præsidium, confugiamus ad misericordem Deum, Patrem æternum Domini nostri Iesu Christi, sponsione promissionum nobis obligatum: Ab hoc Rectore & custode nostro, indefinente gemitu vi promissionum contendamus & efflagitemus: Vt aut receptos nos in gremium suum, & vmbraculo alarum suarum coniectos eripiat sæuitiæ tempestatum: aut discussis nubibus, moderatione tempestatum mitiget calamitates publicas: aut depulsis illis, earundem conuersione, retorquet in autores, quæ ipsi struunt ac moluntur in Ecclesiæ perniciem. Sed afferamus ad Deum animos non securos aut blandientes cupiditatibus nostris, nec sceleribus & flagitijs contaminatos, nec hypocrisis falsa præ se ferentes, simulatos ex metu periculorum dolores, Sed serio pœniteamus de violata pietate, & Deo multipliciter offenso, ac vero dolore admissa delicta detestemur. Cumq; de misericordia Dei certissimus, emendatis moribus ac posita feritate rectiorem & meliorem ineamus viuendi rationem, ac Deo placentem,

Te ergo

Te ergo O æterne Pater domini nostri Iesu Christi
rogamus supplices, vt propter æternum Filium tuū Ie-
sum Christum μεσίτω ἡμῶν καὶ ἰκέτω, seposita iusta ira
tua aduersus peccata nostra induas misericordiam, &
propitijs oculis respicias magna confusione falsarum
opinionum turbatum misereq; distractum, & spectaculo-
lis immanium parricidiorum, ac crescentis in hostibus
sæuitiæ minis grauiter consternatum gregem penè de-
crepitæ Ecclesiæ tuæ. Fulci, sustenta, recrea, & confirma
senio ac morbis labantem & pauore trepidantem Ec-
clesiam. Reprime artificia & conatus Sycophantarum
& Hæreticorum, qui vel maliciôsè ac petulanter, vel ve-
ratorie ac fraudulenter corrumpunt doctrinam, tua
nobis immensa bonitate restitutam: & delere conantur
lucem repurgatæ veritatis. Euerte ac pessunda Archi-
tectos Sinoniorum consiliorum & Tyrannos. Declara
illustri testimonio iudicium de hac doctrina tuum, quam
ex ore & traditione vnigeniti Filij tui domini nostri Ie-
su Christi sonamus, celebrantes indeficientis misericor-
diæ tuæ beneficia. Luceat hæc lux nobis & posteritati
nostræ perpetuo abs te Fili Dei, qui es lux æterna: & as-
flatu Spiritus sancti adiunctos nos societati Ecclesiæ
tuæ, adducas atq; conuertas ad te, ac sit vox tua rectrix
omnium consiliorum & actionum nostrarum, vt tibi
grata fiant. Tuere & conserua bene constitutas ac flo-
rentes Ecclesias & politias harum regionum. Rege &
instrue sapientibus, salutaribus & felicibus consilijs
Principem nostrum in hac tanta temporum difficultate,
negociorum mole, periculorum varietate ac magnitudi-
ne. Largire gubernationem tranquillam ac prosperam
& alia bona necessaria corpori. Flecte omnium animos
ad te agnoscendum ac celebrandum.

Hæc

Hæc si vota sæpe & serio ediderimus : improbitate vitæ & morum prius in melius commutata, siquidem cum proposito perseverandi in delictis stare fides, & invocatio fieri nequit : impetrabimus absq; omni dubio aut mitigationem, aut depulsionem publicarum calamitatum, quas omnino maiores imminere nobis ex propinquo certò credatis, quàm animus voluptatibus aut spe securitatis perpetuæ ebrius cogitet.

Expresserunt aut hæc mihi vota hoc tempore tristissima spectacula Ecclesiæ, vt Sophocleo verbo vtar, ἀτίμως ἢ ἀθέως διεφθαρμένης, & ruentium fatalibus cladi- bus imperiorum: De quibus cum cogitarem, venerunt in mentem mihi, quæ de Regnorum & Rerumpub. Periodis ac mutationibus saniores ac sapientiores Philosophi disseruerunt, non vno argumento, neq; in eandem sententiam, sed opinionibus ac rationibus diuersis: Quarum cum aliquas non prorsus alienas esse animaduertē- rem ab ijs, quæ traduntur voce & autoritate diuina, & hoc tempore aliquid dicendum esset, de hoc illustri & augusto argumento quædam monendo, præbere occasi- onem eruditioribus, de eodem vt accuratius cogitent: Junioribus vero subiicere volui, quæ existimem inquis- renda ac notanda esse præcipuè, cum recitatur aut euolu- untur Historiæ, quibus fatales casus & ruina Regno- rum ac Rerumpub. exponuntur.

Quæsitum est à sapientibus omnibus omni tempore,
An sit aliqua prouidentia diuina in rebus humanis?
An sint certæ aliquæ Imperiorum Periodi?
Et quæ sint tantarum & tam subitarum mutationum
causæ?

Illustria sunt & conspicua testimonia prouidentia
diuina in rerum natura, certa corporum coelestium &
Ele

Elementorum series, rati staticq; siderum cursus ac reditus, specierum conseruatio, & mentis humanae noticiæ, quæ sunt artium fontes. Hæc cum intuentur, fateri coguntur esse aliquam primam causam mundi architectatricem, à qua condita sint vniuersa, & cuius nutu eadem administrantur ac sustententur. Sed cum aspiciunt deformitatem Imperiorum, infinitas in omnibus ordinibus hominum, fraudum, vitiorum, scelerum & flagitiorum confusiones, instabilitatem & iniquitatem variantis sese in momenta fortunæ, Ignauiam, stoliditatem aut crudelitatem gubernatorum in eo fastigio, in quo eminerere ac conspici debebant sapientia & virtus, tristes & tragicos horum interitus, excidia totarum gentium aut dissipationes, attoniti admiratione stupent, conturbatiq; & in ancipites distracti cogitationes hærent dubitantes, An casu coeant Imperia, ac rursus casu dissiliant ac dilabantur, vt formicarum agmina: An non solis humanis consilijs aut viribus cogantur atq; constituantur, & ipsdem, aliàs alijs de causis & ex alijs occasionibus an conuellantur & euertantur: vel an hæc omnia ab occultis & nulli satis peruestigatis causis gubernentur hoc modo, præter omnium hominum opinionem & spem.

Extant multæ querelæ de inconstantia fortunæ in Imperijs, Noti sunt Lucani versus:

Summisq; negatum

Stare diu, nimioq; graues sub pondere lapsus.

Et Senecæ:

Non sic Lybicus Syrtibus æquor

Furit alternos voluere fluctus,

Non Euxini turget ab imis

Commota vadis vnda, niuali

B

Vicina

*Vicina polo, Vbi Cœruleis
Immunis aquis Lucida versat
Plaustra Bootes:
Vt præcipites Regum casus
Fortuna rotat.*

Nec profecto tristius vllum spectaculum est, quàm vel oculis vel animo intueri tot florentissimorum Regnorum interitus, de quibus ne quidem ἐπίπεια reliqua sunt. Propter hanc euentuum varietatem de ijs, quæ dixi, multa quæsiuerunt Philosophi: Sed explicari res, nisi ex doctrina Ecclesiæ, nequit.

Omitto Democritea, Epicurea & Pyrrhonia. Pompeius prælio Pharsalico victus multa apud Cratippum Philosophum disputat contra prouidentiam, quod in caussa iustiore, vt ipse contendebat, à Deo desertus esset. Et similes cogitationes in rebus aduersis tentant & exercent non Ethnicos tantum, sed eos etiam, quos Ecclesia genuit & instituit, nec raro eosdem, si his indulgeant, in horrendos fluctus dubitationum coniiciunt, aut perturbatos extra sese constituunt, aut præcipites agunt in exitium adactos ad desperationem.

Aduersus hæc scandala quomodo sint muniendi animi, ne desperatione deficient, inquiramus. Ac primo euentuum dissimilitudini turbanti aut languefacienti assensionem de prouidētia, opponamus vota & expressa testimonia scripturæ sacrae, quæ ostendunt, cum ordinem politicum esse opus DEI, & conseruari ac defendi à DEO, tum ab eodem & excitari atque adiuuari salutare gubernatores, & cum degeneres Magistratus ordinem diuinitus sancitum turbant, aut dissipant, mutari Imper

ri Imperia, excitis vicinis regibus, aut commotis populis, qui Tyrannos puniunt, ac leges & honestam disciplinam restitunt. Id docet expressè dictum Danielis, Deus constituit & transfert Regna. Hoc dictum velut Epigraphæ præfigatur voluminibus omnium historiarum, & nostras de imperiorum motibus cogitationes dirigat ac moderetur.

Rectè & Plato gubernationem rerum humanarum Deo tribuit, cui suo consilio tanquam instrumenta & media adiungit *τύχῃ καὶ καιρῶν*, quibus vult obsequi *τέχνῃ*, id est, consilia & conatus prudentiæ humanæ. Sed nos Deo tribuamus, quod docent sacrae literæ, Deum non esse astrictum ad secundas causas, & multa agere atq; perficere, absq; his, imò sæpe contra ordinem secundarum causarum.

Secernamus autem ab ordine politico vicia deformantia opus DEI, & confusiones, quæ nō sunt à Deo, qui non est autor *ἀκατασασίας*, sed oriuntur à furoribus diabolorum & malorum hominum, vel ab humana imbecillitate. Non itaq; vt multi prophani arbitrantur, existimemus temerè ac fortuitò, sine Dei consilio homines concurrisse, vt se iunctis viribus tuerentur aduersus bestias aut latrocinia: nec Imperia casu oriri aut ruere, & deuolui casu in eas gentes, quarum extollitur potentia, nec eas, quæ accidunt in Imperijs florentibus, mutationes casu euenire: Sed certo ac firmiter statuamus, Deum Architectum esse ordinis in Imperijs, & hunc tueri, Ac prohibere, ne à Diabolis & malis hominibus prorsus dilaceretur vastationibus infinitis.

DE Periodis autem Imperiorum, An sint aliquæ, & si sint, certæ nè ac definitæ sint & perpetuæ, An vero

B ij

sua

suæ singulis sint politijs propriæ, cum species politiarum plures reperiantur ac diuersæ: Et mutationum quæ sint causæ, maior Quæstio est & perplexior, in qua explicanda cum hæserit Plato, introducit Socratem, sententiam de hac quæstione suam Musis tribuentem, quam illæ vt in re obscura & inextricabili, velut vaticinantes. Arithmetico Ænigmate inuoluunt. Politias, inquit Plato, mutari, cum fundus sesquitertius quinario iunctus duas exhibet harmonias ter auctus. Hæc quo tendant, ne Aristoteles quidem explicauit, qui locum hunc interpretans initia mutationum collocat in momentum tale, quo diagrammatis à Platone expressi numerus fit perfectus: Etsi autem Sybillæ folijs obscuriores sunt hi Platonis numeri, in quibus, vt in alijs eiusdem autoris euoluendis & extricandis plurimi frustra laborarunt: Tamen hoc videtur velle: Imperia ad summam seu perfectionem seu potentiam euecta, cum vltra hanc natura nihil instituat, postea facta conuersione, vt compleatur periodus, & fiat reditus ad principium, degenerare rursus ac ruere, succedentibus gubernatoribus, qui nullis à natura deficiente adiumentis aut præsijs instructi, ne disciplina quidem excoli aut cicurari possunt.

Etsi itaq; quanta Plato circumscribat Periodo politias diuinare difficile est, Tamen mutationum causas, quas constituat, minus obscurum est: Nimirum certis vicibus temporum, vi ac robore naturæ gigni gubernatores bonos ac præstantes, quorum virtute Imperia tenentur, Postea languefacta vel extincta ea naturæ vi, nasci aut languidiores aut deteriores, qui suis ipsi furoribus euertunt Imperia. Nec Pompeio ex prouidentia causam sui casus, quem iniquum esse censebat, querenti, inconcinnè respondet Cratippus, Viciosum Reip. statum.

statum exigere Monarchiam: Cumq; vicissim interro-
garet Pompeium, Quo nobis argumento persuade-
bis, te melius quàm Cæsarem, si vicisses, fortuna vsu-
rum fuisse: illo tacente subiicit: Sed in Dei arbitrio ac
potestate posita relinquamus. Coniungit itaq; Cratip-
pus cum moralibus fatales causas: sed neutras explicat,
& Fatales etsi mentione numinis diuini attingit, quales
sint illæ tamen ignorat.

Aristoteles omiſſa prouidentia, & causis fatalibus
ac physicis tanq; remotioribus & obscurioribus præter-
ritis, solas intuetur causas propinquas ac morales: Nam
& motus cieri, efficiq; mutationes, & quasi metas con-
stitui, ac definiiri circuitus durationum ostendit vicij
Politiarum, & hominum cupiditatibus, qui seu commu-
nibus, ac publicis vicij & morbis Politiarum, seu alijs
causis irritati atq; accensi, si moliantur res nouas, præsen-
tem Rerumpub: statum perturbant.

Sæpe vitia tam sunt enormia, vt emendationem ne-
cessariam desiderent. Sed conatus etiam optimo consi-
lio suscepti vel hoc fine, vt è statu deteriore Respub:
transferantur in meliorem, non in eum tamen, qui spe-
ctatur & quæritur, exitum desinunt, sed sæpe ingentem
ruinam trahunt, cum res motæ non ab autoribus regun-
tur amplius, sed semetipsas incitant, & autores impel-
lunt, vrgent & implicant non præuisis difficultatibus.
Et effert sese audacia sceleratorũ hominum, sicut veteri
versu dicitur: Ἐρ δὲ διχόσασιν ἡγὼ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.
Non enim vt mouere res nouas, sic euentum præstare
in nostra potestate est. Et πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανα-
τηφοροὶ inquit Xenophon. Et secundum Pindarum:
ῥάδιον μὲν πόλιν σφῆσαι, ἀλλ' ἐπὶ χωρᾶς ἔσσαι αὐθις μόνον ὄσι θεῶ.
Idcirco iubent viri Politici aliqua parua incommoda

B ij

condo

condonare consuetudini, ne mota Repub. velut ægro corpore, maiora mala accidant. Et Plato vt delyri parentis, sic fenefcentis ac morbidæ Reipub. vicia ferenda tegendaq; cenfet, ne intempeftiuis remedijs exacerbata gangrænarum inftar aut cancrorum ferpant, & depafcantur ac confumant corpus vniuerfum. Polybius duabus potentiffimis ciuitatibus Carthagine & Roma multorum annorum bello de Imperio decertantibus ad extremum succubuiſſe Carthaginem, & victam conditiones accepiffe ob eam maximè cauſam putat, quod quo tempore inter eas incidit contentio, tum & Carthagine multò quàm ante negligentius, & Romæ multò quàm ante diligentius, mores inſtitutaq; maiorum coleantur, ſicut de Romanis Poëta cecinit: Moribus antiſquis res ſtat Romana virisq;. Sed frequentius, non tam Reipub. quàm rerum priuatarum reſpectus incitat homines ad innouandum aliquid aut turbandum in bene conſtitutis ac quietis politijs.

Ariſtoteles publica morbidarum politiæ vicia vno τῷ ἀνίſος nomine complectitur, quod latè patet, ac dominatur maximè in Democratijs & Tyrannide, quæ cæteris etiam omnibus minus diu durant, & mutationibus maximè ſunt obnoxia. Vt enim ἰſότης æquatione quadam diſſimilium κατ' ἀξίαν copulat animos hominum; ſic τὸ ἀνίſος eosdem diſiungit, neq; vnquam vera inter ſe firmaq; beneuolentia coaleſcere patitur. Sed occaſiones & ἀφορμαί, à quibus initia & cauſæ motuum ac mutationum exiſtunt, in hominum moribus ſunt & cupiditatibus, nec ſunt vniuſmodi. Nec eodem modo mouentur aut turbantur Politia.

Ac plerunq; alia ſunt αἴτια, Alia προφάſεις ſeu prætextus. Alios impellit εὐλοκορδία & vniuerſim omnis πλεονεξία

πλεονεξία, quæ est νόσημα συμφυτὸν ταῖς δυνασείαις secundum Plutarchum, & eo usq; sese effert, vt nec profundis maris gurgitibus, nec excelsorum montium cacuminibus, nec vastis solitudinibus, nec Europæ, Asiæ aut Africæ limitibus, nec cognati sanguinis Legibus & vinculis definiri atq; coherceri possit. Sed regnat ea cupiditas non minus in priuatorum animis. Ac verissimum est Pausaniæ dictum: *ἐν τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει ἢ ἄλλων ἐνόνηται, ἐφ' οἷς βιαζόμεθα ἄδικοι γίνεσθαι, τὰ κέρδη μεγιστὰ ἀνάγκη ἔχει.* Hominum animis, cum alia quæ insunt, tum maximè lucri cupiditas, quasi vim affert, incitans ad iniuste faciendum. Nec ignoti sunt Euripidei versus, qui Iulio Cæsari in ore fuerunt.

Plurimos vexat & exagitat φιλοψυχία, δεινὸν κακὸν secundum Tragicum, quæ eorum animos, quos occupauit, occulta inuidentiâ ceu face quadam assidue perurens quiescere non sinit, & ad ciuilia certamina extrusas nihil sani aut moderati experiri facit. Desiderio. n. crescendi nec superiorem ferre nec parem potest. Vnde de ambitiosis dictum, *ὄφις ἂν μὴ φάγοι ὄφιν, μὴ ποτε γενήσεται δράκων.* Contra τὸ ἀφιλόψυχον οὐ μικρὸν εἰς πρῶτα πλεονεξίᾳ ἐφόδιον.

Nec parua detrimenta affert Rebuspub: φιλονεικία, & contendendi vincēdiq; libido, quæ in pugnacibus & pertinacibus naturis ferè non nisi interitu ipsorum aut Rerumpub: cineribus extinguitur. Ac rectè reprehenditur Lycurgus, quod τὸ φιλόψυχον ἢ τὸ φιλονεικὸν διορῶν υπέκαυμα τῆς ἀρετῆς ceu fomitem virtutis lege iniecerit Spartanis. Vtramq; enim protinus comitantur alia cognata, nec minus Rebuspub. perniciofa vicia, E quorum sunt numero πολυπραγμοσύνη, quauis occasione mouens non necessaria & aliena à vocatione: φιλαυτία [despiciens

despiciens & quasi conculcans alios: ὕβρις contumelijs
 afficiens aut iniurijs pares aut inferiores: κακοζηλία
 fingens & somnians ex sua vel aliorum fortuna, per
 suasione aut perpetuo duraturæ felicitatis, aut simi
 lis vel sapientiæ vel virtutis, similes successus, qua
 lis erat in Demosthene & Cicerone: ἰδιογνωμοσύνη
 καὶ ἀυθαδεία ex admiratione sui & contemptu aliorum
 suas cogitationes anteferens melioribus ac sanioribus
 aliorum iudicijs, aut pertinaciter retinens & vrgens se
 mel cœpta, qualis erat in Pericle & Catone: ἀπιστία dif
 fidens alijs & muniens sese amicitijs, societatibus, fœde
 ribus, attractis socijs dissimilibus aut potentioribus, ac
 clam struens insidias æmulis: Sunt enim πλεονεκτικοὶ &
 φιλότιμοι καὶ φιλόνηκοι φύσεις omnes infidæ & insidiosæ.

Sed cuncta persequi, & hæc quæ commemorata
 sunt exemplis illustrare, nimis foret longum. Verè hæc
 autem & recte dicuntur. Certum est enim sæpe maxis
 mos motus in politijs ab his causis extitisse. Sed ἄφορμα
 tantum sunt καὶ ἀρχαὶ κινήσεων. Hoc quod quaeritur
 nondum explicatur, Nimirum, An sint certæ & fatales
 Periodi Imperiorum? & si sunt, Quæ sint ultimæ eas
 rundem ceu metæ? & ad eas metas an cuncta perueni
 ant Imperia? aut si non attingant, Cur ante tempus des
 ficiant atq; concidant? & quibus de causis tota Regna
 & Respub:deleantur, totæ gentes dissipentur? Assens
 tior minus obnoxias esse motibus, atq; ideo durare diu
 tius Politias, quas confociat & continet æqualitas. τὰ γὰρ
 ἴσα πόλεμον οὐ ποιεῖ. Contra reliquas æqualitatis exper
 tes facilius turbari, ac dissolui & dissilire citius. Sed hanc
 æqualitatem Aristoteles metitur tantū gradibus hono
 rum & dignitatum, & lucris atq; accessionibus, Non
 virtute

virtute, cum hac pauci præditi sint: ac minus religiosa pietate, qua Deo tribuitur, sibi quod dari exhiberique præcipit. Deniq; hoc solum monstrat, quod in præsentia homines mouet ad moliendum aliquid aut turbandum, Non ostendit causas fatalium & vniuersalium mutationum, quas fortasse nullas credidit esse.

Quod ergo neutiquam satisfaciunt hæc sapientibus, nec tamen alia, mente percurrentibus hanc totam propiorem & oculis obuiam rerum naturam, sese offerunt; ideo ad cœlum & ad Astra tanquam Fati tabulam conscendunt aliqui, vt inde causas deducant. Partuntur imperium orbis terrarum in Zodiaci Trigona ac Dodecatemoria, & in stellati orbis distincta sidera ac πεταρτημόρια cœli, atq; inerantium insignes Synodos & luminum deliquia. Singulis Regnis etiam & regionibus singulas errantes itidemq; insigniores inerrantes stellas præficiunt, quasi opifices & Architectos publicorum fatorum, quæ ad decursus eorum syderum vim luminis sese commouentes, quasi exundant in subiectas terras, inq; his naturis & ingenijs hominum noua quadam affectione in melius aut deterius perculsis atq; imbutis, & ad consilia, conatus, molitiones, aut salutare aut perniciosas impulsis, efficiunt mutationes ad alterutram fortunam, prosperam vel aduersam, aliàs extollendo prostratam ac iacentem, aliàs deprimendo florentem Rerumpub. conditionem, pro ratione habitudinis suæ ad eas terras vibratiq; luminis & positus in cœlo.

Romæ, cum conderetur, ex propinquo radijs verticalibus, effulsisse tradunt vltimam stellam in cauda vrsæ maioris, atq; hoc positu ei despondisse Imperium Orbis terrarum. Inde digredienti successisse latus Persei &

C

caput

caput Serpentis, quæ hostilibus radijs Imperium destruxerint. Eandem stellam, cum supra Byzantium constitisset, ex vrbe Romana sedem Imperij eò traduxisse, & postea Francis, tandem Germanis idem Axioma attulisse. Asiam & Græciam, quando Sarracenicis & Turcicis armis deuastatæ ac sub iugum redactæ sunt, tradunt infestis è vertice radijs capitis Medusæ, quod sinistra manu tenet Perseus, pulsatas esse: & ex eiusdem sideris effulsione simili, in eadem calamitates præcipitatam esse vltiorem Italiam, qua hodie latè patet Regnum Neapolitanum.

Et si autem hæc & similia alia à sagacibus ingenijs ex euentu animaduersa, & coniecturis eruditissimis ad decursus viresq; siderum accommodata nequaquam repudio, neq; infitior, magnam & admirandam (sed nevtiquam satis peruestigatam) esse vim & efficaciam luminis cœlestis in totum orbem Elementarem, quem vt circumflexu suo cœlum complectitur, Ita Cœlo affixa sidera àliis aliter vibratu radiorum feriunt atq; afficiunt: deniq; multas concurrere & quasi conspirare causas fatales, Physicas & morales, de quibus supra dixi, non ignoro, cum quasi à fundamentis euulsa corruunt Imperia: Tamen quantum de cœli viribus exploratum est, hoc omne vim tantum particularem habet. Propterea ratae & immotæ non sunt Periodi Imperiorum ex circuitibus cœli aut syderum deductæ, & ex his quidquid de Periodis & causis mutationum eruitur atq; extruitur, hoc mutilum & imperfectum est, nec eo cognitio mens humana acquiescit. Nisi ergo coniecturis Philosophorum adiungantur testimonia & exempla Ecclesiæ, necesse est eas hac in parte hæerere ac deficere.

Vt expleamus autem, quod deest, præsidia doctrinæ

næ

nae sacrae assumemus, quae sola, ut ad autorem custodiamque ac vindicem ordinis politici, Sic ad primam & uniuersalem mutationum causam nos deducit & Periodis constitutis metas designat, quas rarissime aut nunquam excedunt, non saepe assequuntur Imperia.

Periodus uniuersalis definitur in Daniele Septuaginta hebdomadam mentione, quibus tempus exprimitur ab instauratione Templi & politica post captiuitatem Babylonicam usque ad Christum. Complectuntur illae autem annos circiter quingentos. Hanc Periodum lege quadam sancita diuinitus, magnis Imperiis fatalem esse, & uniuersales mutationes afferre, ostendunt omnium temporum Historia, si a prima antiquitate repetantur. Compertum est enim magno exemplorum consensu ea circumacta, in ipso quasi articulo anni quingentesimi, vel paulo ante mutationes incidere, quibus vel euerfa regna, vel translata alio, esse desinunt, vel in nouam commutantur formam.

Ac seruauit eandem Deus ipse in suo populo. Tot enim sunt anni ab exitu populi ex Aegypto usque ad aedificationem Templi. Totidem annos stetit utrunque Templum: & durauit Principatus Ducum: ac post hos Regum successio: & a captiuitate restituta gentis Iudaicae politia. Totidem annos Assyrii tenuerunt Asiam: Imperarunt Athenis Reges: Stetit Respub. Laconica, Rexerunt Rempub. Romanam Consules: Sedes Monarchiae fuit vrbs Romana ab Augusto usque ad Valentinianum ultimum Constantij & Placidiae filium. Vertitur & nunc quingentesimus annus, quo rerum in Orbe Christiano potiuntur Germani, & Regna sunt, Gallia, Polonia, Vngaria. Nec si pauci anni desint, non absolutam esse periodum putandum est. Saepe enim mas

gnitudo confirmatorum scelerum vrget ac præcipitat
fata.

Sed non est, inquires, hæc periodus perpetua & Cas-
tholica? Constat enim regna non pauca vix dimidium
eius exegisse. Monarchia Persica vix annos ducentos
triginta: Græca non multo plures compleuit: Romani
Reges expulerunt anno ab vrbe condita ducentesimo,
quadragésimo quinto. Huius dissimilitudinis quæ sunt
causæ? Explicat & has causas vox doctrinæ cœlestis,
quas ordine percensebo. Ostendi Imperia non esse ope-
ra humanæ industriæ aut calliditatis, sed à D E O ea
condi, euehi & sustineri, ac vicissim ab eodem deici ex
alto ac dissipari. Nec eas vicissitudines mutationum,
quæ accidunt Imperijs efflorescentibus aut fathiscenti-
bus, casu euenire, Sed diuina dispensatione propter an-
tecedentes causas. Ita autem extollit Imperia, Si quos in
hoc summo fastigio collocat ad gubernacula, eosdem
ornat etiam, armat & munit potentia & autoritate, Sicut
dicitur in Psalmo: Qui das salutem Regibus.

Autoritas enim seu Maiestas in principe singulare
donum D E I est, & comparatur quatuor rebus præci-
puè, quæ & ipsæ sunt singularia Dona Dei, Sapientia:
Virtute: Felicitate: & beneuolentia seu inclinatione ani-
morum in populo. Ac virtutes quidem maximè dignæ
principe sunt: Vera & Religiosa pietas erga Deum,
quam præire ac prælucere oportet cæteris: Deinde Ius-
ticia, Clementia, Sedulitas in officijs uocationis, For-
titudo, Temperantia, Castitas, Munificentia, Veritas
ἀρχὴ μεγάλων ἀρετῶν, de qua Salomon inquit: Miseri-
cordia & veritas custodiunt Regem, & Clementia ful-
citur thronus eius, At secundum eundem, Principis
Mendacis omnes sunt ministri mendaces.

In

In Scipione quanquam adolescente, autoritas tamē
men & maiestas tanta erat, vt in sententiam pertraheret
suam, maximam Senatus & Nobilitatis Romanæ par-
tem, periculosissimo rerum statu. Lucebant in eo Sapi-
entia excellens & virtus eximia, & felix erat vtraq̃: Illa
in consulendo rebus desperatis: hæc in patria defens-
denda, Vnde apparebat eum adiuari diuinitus. Incen-
duntur autem animi hominum admiratione sapientiæ
ac virtutis, & opinione præsentia Dei seu auxiliij diuini.
Hæc quanquam multum conducant ad autorita-
tem parandam ac tuendam: tamen accedere oportet &
quartum Dei munus, nimirum inclinationem animo-
rum diuinitus factam in populo, de qua dicitur in histo-
ria Regum: Et abiit cum eo pars exercitus, quorum De-
us tetigerat corda. Item, vt oculus videat & auris audi-
at, Deus facit vtrunq̃.

Hæc eadem illustriora sunt & conspectiora in Da-
uide, qui cum esset humili & obscuro loco natus, & pu-
silli corporis specie contemptus, atq̃ inter greges ouium
educatus, neq̃ à se quidquam afferret tanto dignum fa-
stigio, regno tamen magno, populi studio potitus est.
Tales ergo principes si gubernacula teneant, quibus
autoritatem circumdat Deus ipse, his quibus dixi nitentem
fulcris, florent & consistunt Imperia. Mediocritas
etiam in iisdem retinet & tuetur Imperia cum autorita-
te. Si contrà rerum potiantur principes impij, stolidi,
ignauj, iniusti, rapaces, sæui, mendaces, polluti sceleribus,
flagitijs & libidinibus: aut si commutata vitæ ratio-
ne degenerent à semetipsis: & si hæc vitia regnent eti-
am in subditis impune, qui ferè ad exempla principum
sefe componunt, præsertim si ita radices egerint, vt ex-
tirpari nequeant, amittitur autoritas & sequuntur pœ-

nae, quæ mutationes accelerando constitutos terminos multis seculis anteuertunt. Hæc scelera, vt dixi, non sunt à Deo, sed ab hoste generis humani Diabolo, qui, vt testantur literæ sacrae, summis ordinibus infestius astutiusq; insidiatur quàm alijs, quod horum saluti publicam vniuersorum salutem inclusam esse intelligit, & accedunt furores malorum hominum, quos occupat & exagitat Diabolus.

Et si autem magna Diaboli potentia est, apud impios præsertim, non mutantur tamen politica, nisi Deo volente & ordinante, Ac punit Deus omnium gentium peccata mutationibus imperiorum & vastationibus. Idem cum sit agens liberrimum, vt se ad causas secundas non alligat, sic neq; ijs periodorum metis vincitur aut astringitur, quas constituit, sed abrumpit, aut prorogat, vel etiam varijs mutationum vicibus interrumpit ceptos cursus liberrimè propter causas positas in potestate nostra, quibus ipsi fata nobis cudimus & accersimus. Demonstrat hoc Salomon cum inquit: Propter iniustitiam transferuntur regna de gente ad gentem. Itè, propter delicta terræ cito alij post alios fiunt Principes, Et propter virum prudentem & intelligentem durabilius est Imperium: Propter peccata ergo Principum & populi nulli diu regnant, aut multi discordes regnant, quorum alij pellunt alios: aut prorsus destruuntur Imperia & traduntur alienis, totis stirpibus excisis, & gentibus deletis, regionibus deuastatis. Et de Tyrannis, quibus Deus metas constituit, vltra quas progredi nequeunt, Psalmus inquit: Fient dies eius pauci. Ac sæpe prædicitur, Ideo non dari salutare principis, vt puniantur peccata populi, cum ingrauescunt. Vt Esaia tertio, Auferet Dominus bellatorem, & Iudicem & Prophetã.
Est

Est autem ferè initium mutationum & ruinæ ab
 Imprudentia Principum, aut eorum qui præfunt, cum
 scilicet aut per se stolidi & amentes non intelligunt gu-
 bernationem: aut recta & salutaria monentibus non ob-
 temperant: Sed mordicus conceptas sententias retinent
 & exequuntur: aut pluris faciunt insana & exitiosa fu-
 riosorum hominum, quàm prudentium recta & mode-
 rata consilia. De his Psalmus inquit: Fecit eos errare
 in inuio & non in via. Et Esaias Propheta ait: Dabo
 pueros principes eorum. Semel turbatis consilijs multi
 deinceps sequuntur errores, sicut dicitur, Æger animus
 semper errat. Paulatim & virtus ipsa languescit, & ac-
 cedunt infelices impetus animorum & actiones infeli-
 ces, vt moueantur res non necessariae, & attrahantur
 certamina maiora Viribus, quibus autores succumbunt.
 Extant in hanc sententiam dulces & elegantes Versus
 in oratione Lycurgi contra Leocraten.

ὅπῃ αὖ γὰρ ὄργῃ δαιμόνων ἐλάπῃ ἢ τίνα
 τὸ τῶ πρώτων δὲ ἀφαιρῆται φρενῶν
 τὸν νόον τὸν ἐσθλόν, εἰς ἣ τὸ χεῖρον τρέπῃ
 γνώμῳ, ἢ μὴ εἶδῃ μηδ' ἐν ὧν ἀμαρτανῇ. Id est.

*Iratus ad pœnam Deus si quos trahit
 Auferre mentem talibus primum solet:
 Caliginemq; offundit, vt ruant suas
 Eurenter in clades, sibi quas noxijs
 Accersuerunt vltro consilijs malis:*

Et Lucani Versus noti sunt:

*Hoc placet ô Superi cum vobis vertere cuncta:
 Propositum, nostris erroribus addere Crimen:
 Cladibus irruimus, nocituraq; poscimus arma:*

Talia:

Talia cum fiunt, labefactatur autoritas, aliter iudicat consensus bonorum, aliò inclinant animi quàm antea. Mutatur verò & cum aduersitate fortunæ beneuolentia populi, & crescit contemptus, ac per se Regum atq; gubernatorum degenerum, quando tendunt ad interitum, prima pœna est autoritatis omissio, de qua dicitur in Psalmo; Effusus est contemptus super principes. Ingrauescentibus his ruina propinqua est. Nec de singulis tantum regibus aut principibus, sed de totis etiam hæc intelligantur Regnis, Respub. & politijs.

Peccata verò propter quæ mutantur Imperia pœnis & cladibus publicis, tria in doctrina sacra indicantur maximè insignia, quæ magna ex parte concurrunt atq; coniunguntur. Nimirum ἀσεβεία, ἀδικία & ἀσελγία. Impietas Ecclesiam; Iniustitia politias & communem generis humani societatem; Luxuria Oeconomias turbat aut vastat corrupta propagatione familiarum adulterino femine. Sed & singulorum detrimenta redundant in vniuersas. Domesticæ disciplinæ vicia penetrant in Rempub.; Rei pub; vicia vicissim in domos singulorum. Et contagia vtriusq; corripunt Ecclesiam. Sicut è conuerso labascente Ecclesiastica disciplina, collabuntur cœteræ. Pietate enim extincta, frigescit studium honestatis & virtutum. Ac ferè perpetuò Idolatriam omnem comitantur fœdæ commixtiones libidinum, vel Pauli Apostoli testimonio ad Romanos. Et vicissim commixtiones aut illegitimæ aut promiscuæ & libidinofæ gentium, quæ religionibus discrepant, pariunt earundem confusiones.

De Heliaca vrbe noti sunt versus:

Ἥλιος καὶ μεθύει καὶ ψεύδεται: οἱ δὲ ἐκάσθ
οἰκῶ, τοῖκ μὲν καὶ ξυπαῖσα πόλις

Heliaca

*Heliaca vrbs simul est mendax atq; Ebria: Talis
Tota vrbs est, domus vt quælibet esse solet.*

Et in politijs vsitatum est, vt gubernatorum mores
imitentur & effingant subditi: *πέφυκεν γὰρ ὡς ἄει πρὸς τὰς
γνώμας τῶν ἀρχόντων ἐκτυπᾶσθαι τὸ ὑποχείριον. Ἀσεβείας*
nomine vtrumq; complector extremum: Cūm *δειδαι-
μονία*, quæ superstitione sua sibi comminiscitur ac fa-
bricat numina, ac suos instituit cultus contra interdīcta
diuina, vnde *εἰδωλομανία* existunt: & *ὑπόκρισις* simulato
religionis Zelo corrumpentem recte tradita maliciōse:
Tūm *βεβηλότητα* Epicureo contemptu ridentem Deum
atq; aspernantem religiones omnes pariter, tanquam
fabellas aniles, aut commenta inania ociosorum homi-
num excogitata ad terrendos homines,

Ἄδικία cum nomino, vniuersalem iniustitiam signi-
fico, qua non tantum Tyrannidem & rapacitatem su-
periorum, ac cæterorum ordinum inter se fraudes, Sy-
cophantias, contumelias, iniurias, latrocinia, direptiones,
deniq; *ὑβρις* omnem, sed & negligentiam magistratuum
ac singulorum intelligo, in tuenda disciplina, colendisq;
officijs, pertinentibus ad conseruationem publicæ tran-
quillitatis, & in operibus vocationis.

Ἀσελγείας nomen ex *ἄσκησις* ἢ *ἄλγος* factum, abusum
significat voluptatum omnis generis, non tantum ad tæ-
dium, nauseam & fastidium, sed & vsq; ad eneruatæ ac
fractæ naturæ languorem doloremq;, complectens libi-
dines, helluationes & luxuriam omnem.

Hæc sunt peccata illa, quæ abominatur Dominus,
propter quæ fame, peste, bellis, incendijs, exundationi-
bus, terræ motibus, dissipat, absumit, delet totas vrbes,
familias, gentes, Regiones, Respub: Regna, & Monar-
D cihas;

chias : Has clades publicas, quandoq; præuijs in natura signis portendit ac prærenunciat, vt sint conciones de ira Dei, & aliquos reuocent ad pœnitentiam. Atq; eam ob causam pœnas differt, concedens spatium ad resipiscendum, vt aliqui seruentur. Quapropter si non protinus sequantur pœnæ, nec cuncta vno deleantur impetu, id tribuamus misericordiæ diuinæ, sicut sonat dictum Ieremiæ : Misericordiæ Domini, quod non consumpti sumus.

Cum ergo causas Periodorum & mutationum in Imperijs quærimus, non procul vagemur animis, nec ad sydera euolemus : (etsi nec Astrorum vim vt secundarum causarum, quibus tanquam medijs vtitur Deus, nec quæ proponuntur, ostenta portentaq; contemni vult) Sed quid in Ecclesia, Politijs & Oeconomijs fiat, consideremus. Si regnant in Ecclesia falsæ, impiæ, fanaticæ, blasphemæ opiniones, aut Idola, & conflictantur inter se docentes : Si in politijs impune grassantur Tyrannides, seditiones, latrocinia, Imposturæ, fraudes, & licet cuiilibet quodlibet : Si dissident coniuges, & vagis ac prohibitis libidinibus impunè contaminantur Oeconomix & adulterantur familiæ : non dubitemus impendere tristes, atroces & propinquas pœnas.

Contra, si in Ecclesijs bene constitutis sonet et exaudiatur pura et incorrupta vox Euangelij, legitime administrantur Sacramenta, & Deus rectè inuocetur, si celebrentur honesti congressus in templis religionis causa, & colantur ac exercentur in scholis studia pietatis & literarum : Si magistratus debita cura tueantur Leges, iudicia, disciplinam : Subditi obtemperent, sint concordēs, quærant victum honestis artibus, quibus vitæ opus est, cultura agrorum, mercatura, opificijs, ædificent ac muniant.

muniant vrbes aduersus latrocinia, Et magistratum ac
subditorum voluntates spectent ad hunc finem, vt in
hac societate Deus rectè colatur præceptis diuinitus nõ
fictæ obedientiæ officijs, & vt singulis bene sit: Ac si
propter has causas patriam communi animo & consilio
defendant: Deniq; si in domestica consuetudine vitæ
Mariti & vxores se casto sinceroq; amore mutuo com-
plectantur, certent inter se officijs mutuæ beneuolentiæ
colloquantur de Deo, rectè educant & instituant sobo-
lem assuefactam ad agnitionem Dei & inuocationem, et
ad literarum ac virtutum amorem & cultum, si grauius
regant familiam, & inuocent vniuersi vna voce Deum,
communicatisq; inter se fideliter consilijs & operis, con-
stituant & administrant res domesticas: Talem politia
am necesse est diu beatam manere ac florentem.

Hæc de Periodis & mutationum causis in Impè-
rijs verè & rectè dicta esse existimo: etsi propter breuis-
tatem nec compræhendi, nec, vt par erat, exponi potue-
rint omnia. Hortor autem viros sapientes & in Repub.
versatos, atq; in varijs vitæ negocijs exercitatos, vt de
his rebus, quæ infinita constant varietate, ipsi accuratis-
us cogitent.

Cum autem hæc ipsa vera bona nobis communis-
carit & huc vsq; mediocriter conseruari, imo & turbas-
ta atq; interrupta bellis & peste cum reddiderit nobis
misericos Deus immensa bonitate, grati agnoscamus
magnitudinem misericordiæ diuinæ erga nos, & pro ea
gratias agamus assiduè. Deinde cum didicerimus quis
bus causis offendatur Deus, & accelerentur poenæ
fatales ac publicæ, oremus filium Dei, vt ipse nos Spirítu
suo regat, ne in talia peccata culpa nostra ruamus, aut

D ij impul

impulsu Diaboli præcipitemur, neue sponte accersitis furoribus, vt multi faciunt, obruamus aut repellamus hæc dona, & irriterimus iustam iram Dei, ac pœnas immota iustitiæ diuinæ Regula decretas ac destinatas, ne nobis attrahamus. Quibus exagitentur Ecclesiæ contentionibus, qualia machinentur hostes Ecclesiæ, ante oculos est. Quare pœnitentiâ & vera Inuocatione flectere Deum studeamus, vt nostras Ecclesias & harum hospitia seruet, nec sinat confirmari, aut vincere eos, qui Idola, blasphemias & errores stabiliunt, quibus Deus contumelia afficitur.

Te rogamus ergo Æterne Deus, protege & gubernana nos propter gloriam & veritatem tuam, vt tuas laudes constanter sonemus. DIXI.

QVÆSTIO DE IUSTITIA FIDEI, QVOMODO HOMO IUSTIFICETVR. CORAM DEO, ET QVÆ SIT natiua & genuina sententia Particularum exclusiuarum: Opposita recenti Sophisticæ Flacianorum, obscuranti & peruertenti illustrem doctrinam de hoc articulo Euangelij, quam rectè sentientes Ecclesiæ defensam contra Pontificios hucusq; constanter retinuerunt.

Proposita in promotione Magistrorum à M. Christophoro Frey Austriaco.

Vetus est verbum: Dicere nunquam est gratum, nisi si cum est necessarium: Ita existimo & prolixam, seu commemorationem seu excusationem, cur in hoc solenni & amplissimo congressu dicere instituiam, minime gratam esse posse: cum causæ, quæ dicendi necessitatem

fitatem mihi afferunt, vobis vniuersis & singulis exploratè sint perceptæ & cognitæ. Non enim cuiquam ignota esse potest consuetudo Academia, ex honestissimis causis nata, atq; optimis rationibus profecta, qua (vt non tam specimen nostræ eruditionis, quàm multo magis vt indicium Reuerentiæ & obedientiæ erga præceptores, à quibus honores accepimus, edamus ac declaremus) proponere aliquid in medium iubemur, quod Reuerendis Dominis præceptoribus occasionem præbeat, de aliqua doctrinæ necessariæ parte erudiendi iuuentutem scholasticam. Quare etsi in hoc doctissimorum virorum & eruditorum adolescentum venerando confes-
su, minimè sum ad dicendum idoneus: tamen studio obedientiæ (cuius maior laus esse solet, quàm ingenij aut eloquentiæ) hoc dicendi onus imponi mihi patior: & à vobis, Magnifice Domine Rector, Reuerendi & clarissimi viri, Professores veræ doctrinæ de Deo, & optimarum artium in hac Academia, & iuuenes studiosi, ea qua par est, Reuerentia peto, vt qua alios sæpe ante me benignitate audiuiſtis, eadem me quoq; humanissimè complectamini.

Affero autem quæstionem pertinentem ad doctrinam de Iustificatione, quam desertores huius Academia, qui Flacium Magistrum secuti, nouum sibi doctrinæ genus fingere, & comminisci moliuntur, Sophisticis præstigijs, & tetrifuroribus obscurare & corrumpere non desinunt. Sed prius de hoc præcipuo articulo Euangelij, Summam veræ sententiæ, quam Dei beneficio in hac Academia & Ecclesia sonantem, scio assiduè proponi & inculcari, repetam, vt cuius Ecclesiæ ciuis sim, hoc etiam in loco publicè profitear.

Cum Dominus noster Iesus Christus, complectens
D iij summam

summam Euangelij, iubeat in suo nomine prædicare
pœnitentiam & remissionem peccatorum, semper, quo-
tiescunq; de iustitia fidei, conscientia erudienda sunt,
ordiendum est à ministerio verbi, per quod efficax est
Spiritus sanctus, id est, à prædicatione, quæ & arguit
peccata, & ostendit beneficia Christi. Primum enim in
his, qui iustificantur, necesse est existere dolores conscien-
tia seu contritionem, id est, pauores in corde, agnos-
cente peccata, statuente Deum irasci peccatis, & dolo-
res de peccato. In his terroribus erigenda est conscien-
tia fide, quæ credat & statuatur nobis remitti peccata, &
nos iustificari, id est, iustos seu acceptos reputari, & hæ-
redes esse vitæ æternæ **GRATIS** propter Christum,
cuius iustitia nobis imputatur, cum fide eam apprehen-
dimus.

Hoc modo cum in contritione seu pœnitentia nos
consolamur, singuli credentes certi esse debent, se esse
iustos, id est, coram Deo acceptos non propter digni-
tatem propriam, sed propter Christum, quem solum
intuetur & apprehendit fides. Simul autem cum hac
consolatione, quam corda accipiunt, verè Spiritus san-
ctus excitat corda, vt incipiant habere Spirituales mo-
tus, pacem, & lætitiã in Deo, dilectionem Dei &
proximi, & totius nouitatis inchoationem. Neq;
tamen aut propter contritionem, qua fit initium con-
uersionis, nec propter inchoatam nouitatem, imò nec
propter fidem, quatenus est qualitas in nobis, persona
iusta & **DEO** accepta est: Sed in vniuersa vita, est,
& manet, persona iusta propter obedientiam mediatoris,
quæ longè supra omnes virtutes in nobis collocanda
est.

Hæc est simplex & vera, non spinosa, non intri-
cata

cata sententia, in qua nihil inest Sophisticæ, de modo
iustificationis nostræ coram Deo. Et manifestum est
hanc sententiam congruentem cum testimonijs Prophe-
ticis et Apostolicis perspicue et euidenter traditam esse
cum in omnib. scriptis præceptorum nostrorum Luthe-
ri, Philippi, & aliorum: tum imprimis in aureo libello
Examini Theologici, Vbi cum quæritur: **QVOMODO ACCIPIAT HOMO** remissionem
peccatorum & reconciliationem, seu iustificationem, &
donationem Spiritus sancti & vitæ æternæ, disertè re-
spondetur: **HOMO IN CONVERSIONE**, id est,
in veris doloribus & paucibus accipit remissionem
peccatorum, propter Mediatorem filium Dei, Domi-
num nostrum Iesum Christum, Deum & hominem,
gratis, sola fide, non propter nostram dignitatem, seu
propter virtutes proprias, aut propria opera seu meri-
ta. Cumq; fide erigimur, & accipimus remissionem
peccatorum, filius Dei verè est efficax, & voce Evan-
gelij dicit consolationem in cordibus, ac fide simul acci-
pimus imputationem iusticiæ seu reconciliationem, &
Spiritum sanctum, & efficimur hæredes vitæ æternæ
gratis propter Christum. Idem dicitur & in cruditi-
sima definitione Iustificationis, quæ iuxta Paulum est
ACCEPTIO remissionis peccatorum & reconcilia-
tionis seu acceptationis gratuitæ propter filium Dei,
seu imputationis Iustitiæ Christi, quæ cum fide accipi-
tur, verissimum est, simul filium Dei corda viuificare,
dicere consolationem in cordibus per Euangelium, &
Spiritu sancto accendere tales motus, qualis est ipse.

Valde autem illustrat totam doctrinam de Iustifi-
catione, Dialectica declaratio vocabuli **IUSTICIÆ**
FIDEI, Quod certum est, non esse qualitatem, non
habere

habitu, non impressionem, non implantationem, in nobis ullam, Sed esse Relatiuum nomen, cuius fundamentum est Iustitia, id est, tota obedientia & meritum filij Dei. Terminus est persona agens poenitentiam & credens in filium Dei. Inter haec relatio, quae proprie est iustificatio, est applicatio obedientiae, & meriti Christi ad personam agentem poenitentiam, & credentem in filium Dei. Quae applicatio non fit in momento ignoto aut insensibili: sed fide in vero agone conscientiae luctante cum pauoribus & desperatione, fiducia meriti mediatoris, quo solo nititur, de qua fide Augustinus inquit: Credens scit se credere. Neque applicatio illa aliud est, quam acceptio remissionis peccatorum & imputationis Iustitiae Christi & acceptationis ad vitam aeternam.

Sicut autem promissiones Euangelij constat & gratuita esse & vniuersales: Sic vtrumque recte dicitur: & imputationem iustitiae esse gratuitam, id est, ex sola misericordia Dei contingere propter filium: & in Euangelio offerri omnibus, qui conuertuntur & credunt, id est, qui in seria agnitione peccatorum & sensu irae Dei fide sese erigunt, & in promissione gratiae acquiescunt, atque ita fide accipiunt & sibi applicant Iustitiam oblatam in promissione, qua teguntur peccata ipsorum, qua reconciliantur Deo, qua acceptantur pro iustis, seu pronunciantur à Deo iusti propter Christum, & simul donantur Spiritu sancto & vita aeterna.

Nequaquam vero fit iustificatio extra conuersionem aut sine conuersione. Nec hi, qui non conuertuntur ad Deum, iustificantur: Nec vel contritio praecedens fidem, vel inchoatio nouitatis spiritualis, quae fit in conuersis, & quae est initium vitae aeternae, à fide & iustificatione

eatione diuelli aut separari potest, sic vt non adsit, aut vt non sequatur necessario.

Nam etsi distinguenda sunt hæc, neq; in vnum Chaos miscenda, ac confundenda sunt, quæ tùm de tota conuersione, & huius partibus, tum de iustificatione peculiariter tractari atq; explicari solent: tamen arctissimis vinculis sic ista inter se connexa & copulata sunt, vt remissio peccatorum seu reconciliatio nunquam diuelli, nunquam distrahi aut possit aut debeat à præsentí conuersione: Et vt immutabili ordine sine successione aut interuallo temporis sequatur renouatio, quæ certè cum fide accipiente remissionem peccatorum perpetuo & immutabiliter coniuncta est. Si quis .n. ad Deum seriò conuertitur, in eo certum est simul fieri iustificationem & viuificationem, quæ est ipsa regeneratio. Accipit enim homo simul fide vtrumq; beneficium, remissionem peccatorum & Spiritum sanctum, qui cum sit Spiritus gratiæ & precum, non est ociosus, sed tales motus efficit qualis est ipse. Neq; vero sequitur inde confusio remissionis peccatorum & nouitatis spiritualis: Quia etsi inchoatur nouitas: tamen nec est, nec dicitur persona coram Deo iusta in hac vita propter nouas qualitates, sed consolatio hæc firmiter retinetur, de qua mens in paucis præcipuè angitur: Non solum in conuersione, sed etiam post conuersionem in hac vita semper personam & esse & manere iustam, id est, acceptam Deo & habere remissionem peccatorum propter filium Dei, qui semper manet mediator, velut vmbraculum amplectens nos, & tegens nostras sordes, quæ reliquæ sunt etiam in sanctis & renatis in hac vita.

Hæc consolatio vt perpetuo firma & rata sit, ne homines vllò vnquam tempore ad ea, quæ in sese vel res

E

periunt,

periunt, vel non reperiunt, deducantur, Sed vt simpliciter sciant, iustitiam nostram coram Deo esse aliquid extra nos, videlicet obedientiam, & meritum filij Dei, apprehendendum fide: Denique ne propter indignitatem propriam in dubitationem incidant: traditæ sunt ad hunc ipsum usum à Paulo particulae exclusivæ, quæ ad doctrinam de causis Iustificationis propriissimè pertinent, quales sunt: **GRATIS**, sine lege, sine operibus legis, non ex nobis, non ex operibus, non nisi ex fide, non in seminibus, vt in multis, sed in semine, tanquam vno, qui est Christus, Quas omnes et hac particula comprehendit certum est: **SOLA FIDE**, quæ quomodo explicanda sit correlatiuè, Dei beneficio in nostris Ecclesijs, omnibus notum est.

Sic autem semper & intellexit & explicauit vno eodemque & consentienti modo perpetua vox Præceptorum nostrorum particulas exclusiuas, vt intelligatur, per eas, excludi ac tolli omnem in iudicio Dei dignitatem omnium operum, quantacunque in hominibus siue renatis siue non renatis reperiri in hac vita villo vnquam tempore possunt, ne sint causa seu meritum iustificationis seu reconciliationis cum Deo. Hæc explicatio, quæ & cum natia scripturæ sententia congruit, & in omnibus ferè paginis scriptorum, quæ in hac schola edita sunt, assidue repetitur & inculcatur, Satis clarè testatur, filio Dei debitum honorem integrè tribui: & consolationem certam conscientijs territis proponi & confirmari: & legis & Euangelij discrimen illustrari: & inuocationem magis accendi, cum inseparabiliter copulantur iustificatio & conuersio, id est, cum à iustificatione neque contritio, neque fides, neque nouitas spiritualis sic tollitur ac remouetur, ne adsit in his, qui
iustificans

iustificatur, aut ne sequatur necessario & cum fide perpetuo coniuncta sit renouatio, quæ est inchoatio internæ & externæ obedientiæ. Etenim disertè monstratur, illa omnia tantum vt connexa esse cum iustificatione, non verò poni, vt causam vllam seu meritum iustitiæ: Et nominatim hoc inculcatur: Christi obedientiam (quam non aliæ uirtutes, sed sola fides apprehendit & accipit) perpetuo esse & manere vnicum precium, meritum & impulsiuam causam Iustificationis nostræ.

Sed vt in alijs doctrinæ Ecclesiarum nostrarum partibus multis, sic & in hoc præcipuo ac summo salutis nostræ fundamento, veram, simplicem, ac genuinam Pauli sententiam desertores huius Academiæ, Flaccius & eius manipulares, nouis opinionum commentis obscurare & inuoluere, atq; etiam oppugnare & exagitare non verentur. Nam & conuersionem ac iustificationem certis quasi temporum momentis & interualis dirimunt: & exclusiuas particulas nouo quodam modo sic interpretantur, vt impudenter affirmant, his tolli ac remoueri omnem omnino operum præsentiam, vnà cum benè operandi necessitate, Et vt Andabatærum more in tenebris pugnent, Sophisticè ludunt præstigijs & ambiguitate verborum, de actu iustificationis, seu de Articulo, puncto, momento, circulo, teatro, foro iustificationis, Mouent & Tragœdias mirificas mentione bonorum operum, Cum quidem negare non possint, bonorum operum appellatione sæpè totam conuersionem, hoc est, non solum fidem, sed etiam contritionem, in primisq; nouitatē spiritualem inchoatā significari. Etsi aut nec ipsi prorsus audent à doctrina de Iustificatione remouere contritionem & fidem: De quibus tamen mirificè præstigijs ludunt, dum contritionem faciunt

E ij ciunt

ciunt meram passionem, subito & violenter cordi impressam, & fidem fingunt motum quendam sine nostra cogitatione aut assensione infusum: Tamen impudenter à fide, quadam velut successione temporum auellunt nouitatem, et eam, si adsit, tanquam impedimentum perpetuum iustificationis esse imaginantur, Et vt gnauiter sint impudentes, Pauli Apostoli dicta huc detorquent, & voces istas vrgent: Sine operibus, & ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, easque contra Pauli genuinum sensum, dissimiles fingunt ceteris valde perspicuis & illustribus explanationibus: Non ex operibus, non ex nobis, exclusa est gloriatio etc. Item, Iustificat impium (videlicet agentem poenitentiam) Allegant et ex Augustana confessione et eiusdem Apologia, et ex scriptis Reuerendi Patris D. Lutheri, sententias truncatas & mutilatas, in quibus nonnumquam addita iusta declaratione, hæ voces vsurpantur: Homines iustificantur, etiamsi nulla bona opera habeant. (videlicet si modo conuertantur.) Dilectio sequitur fidem. Et: opera non præcedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum, (quod intelligere debebant de ordine naturæ, non de successione temporum.) Item: Bona opera non habent locum in articulo Iustificationis, (videlicet intelligendo articulum non de actu momentaneo: sed de ea parte doctrinæ, in qua de causis iustificationis dicendum est. Non enim profectò bona opera eo loco habenda sunt, vt causa vlla sint, seu premium seu meritum iustitiæ.) Sed omisis his necessarijs declarationibus calumniosè & sycophanticè illi detorqueñtes omnia ad suas imaginationes falso conceptas, vniuersam doctrinam deprauant, & necessariam explanationem de particulis exclusiuis traditam rabiosè arrodunt & allas

& allatrant. Cum autem maximè opus sit articulum de Iustificatione clarè & perspicuè extare, & iuuentutem scholasticam utile sit assiduè moneri de Sophismatis sceleratè ac petulanter confictis: Reuerenter & qua decet obseruantia oro Reuerendum et Clariss: Virum, Theologicae facultatis hoc tempore Decanum, praëceptorem ac compatrem meum colendum, Dominum D. Casparum Crucigerum, vt mihi & studiosis adolescentibus fundamenta refutationum monstret, Quod vt non grauatim, propter publicam vtilitatem ab ipsius Reuerenda dignitate impetraturum me esse confido, Sic filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum ardenti pectoris motu inuoco, vt hanc scholam, dulcissimam matrem verae pietatis, & liberalis eruditionis aduersus calumnias & sophisticam Diaboli mendacis & homicidæ, & omnium organorum eius fartam ac tectam conseruet, & nos omnes doceat, protegat & gubernet. DIXI.

RESPONSIO.

CVM animo intueor tristissimas Ecclesiarum hoc tempore distractiones, & horribiles dogmatum in religione confusiones, non possum non ingente dolore affici, cogitans & sanctissimum Dei nomen indignissimè profanari, & Ecclesias bene constitutas sine fine modoq; turbari, & petulantiam, ac furores hostium veritatis multipliciter confirmari, & animos imbecilliorum magis magisque fauciari, & non praesenti solum seculo, sed etiam miserae posteritati nostrae partim obscurari, partim eripi lucem verae doctrinae de Deo, deq; praecipuis fidei Christianae capitibus.

Augetur autem inprimis eò meus hic dolor, quod

E iij video

video quosdam ex nobis egressos, cum ex nobis non fu-
issent, impiè, summaq; cum temeritate ac impudentia, post
tot illustres explicationes toties iam à nobis repetitas,
non desistere nostris Ecclesijs dira mouere certamina de
eo articulo, quem, quia de iusticia fidei, seu de remissio-
ne peccatorum, ac de Iustificatione coram Deo gratuita
docet, vel maximè incorruptum retineri ab omnibus
oportebat. Nostras quidem Ecclesias constat hætenus
potissimum gloriari & triumphare solitas esse, de hoc
ipso Christianæ religionis loco, iam pridem veritatis
euidencia factioni Pontificiæ extorto, quem omnes re-
ctè instituti intelligunt, & summam Euangelij contine-
re, & proprium Christi beneficium monstrare, & pijs
mentibus firmam consolationem proponere, & veros
Dei cultus à falsis discernere, & veram inuocationem
Dei gubernare, deniq; Ecclesiam Christi à cæteris gen-
tibus & sectis in toto genere humano discernere.

Meminimus etiam multorum sapientia, virtute, pie-
tate, ac autoritate præstantium virorum sermones atq;
iudicia, qui omni asseueratione confirmare non dubita-
runt, sese & alios tunc, cum initio repurgationis doctri-
næ, diuinitus factæ per Reuerendi Patris Domini D.
Lutheri ministerium, motæ essent disputationes contra
manifestos abusus, errores & Idola regni Pontificij, nul-
la re alia magis ad amplectendam piam nostrarum Ec-
clesiarum confessionem excitatos, inuitatos atq; impul-
sos fuisse, quàm quod in ea velut ex tenebris in lucem
proferri, pijsq; rectè monstrari, ac perspicue explicari
cernerent hanc præcipuam doctrinæ Christianæ partem,
de pœnitentia & Iustificatione: in cuius obscuracione
ac deprauacione experti sub Papatu fuerant, & homines
à veritate patefacta in Euangelio ad humana somnia
abdu-

abductos, & honorem filio Dei debitum ad nostra opera translatum, & firmam consolationem conscientijs ereptam, & veram Dei inuocationem mentibus excusam, & modum præstandi gratos Deo cultus ademptum, & Ecclesiam confirmata dubitatione, qua prorsus Ethnico more Papistæ dubitare nos iubent: An simus in gratia: Ethnico coetui similem factam esse.

Hunc igitur summum ac præcipuum nostræ religionis articulum hodie à Flacianis desertoribus congregationis nostræ, & inscitia & malicia turpi ac tetra furenter oppugnari, prodigiosarumq; opinionum commentis obtenebrari & obrui vehementer doleo, præsertim cum audacissimus quisq; ex istorum siue Cuculorum siue Cercopum agmine non vereatur editis scriptis, vel (vt ipsis loqui libet) polemicis, vel examinum Theologorum titulo fucatis, hoc vnum agere, non vt eam, quam in nostris Ecclesijs & Academijs didicit, veram atque salutarem doctrinam proponat, & ad posteritatem propaget, sed vt paulatim vel intra sese conceptum, vel aliunde haustum virus suum rudioribus propinet atq; instillet, & cum alia præceptorum nostrorum de Ecclesia optimè meritorum eruditissima & Ecclesiastico Canonè dignissima scripta, tum in primis aureum Examinis Theologici libellum ex manibus discentium quoquomodo excutiat, recteq; tradita vel Sophisticè eludat, vel Sycophanticè conuellat, & quasi nube veritati obducta densissimas rursus in Ecclesiam tenebras inuehat.

Non possum autem aliter cogitare & statuere, quàm sicut res ipsa ostendit, iusto Dei iudicio fieri, vt in hunc præcipuum, & DEI beneficio, dexterrimè à præceptoribus nostris explicatum doctrinæ Christianæ locum, istorum cœcitas & amentia potissimum sese inferat.

ferat & impingat. Quia historiae omnium temporum testantur ac demonstrant, communem fuisse istum omnium hæreticorum & Phanaticorum dogmatistarum errorem, quod de iusticia coram Deo, seu de iustificatione non rectè senserunt atq; docuerunt, cum alij quidem aliter hallucinarentur & à vera sententia aberrarent, alij etiam alijs verborum insidijs, inuolucris, atq; præstigijs errorem suum occultare, tegere ac fucare studerent, sed omnes tamen in eo potissimum à norma veritatis diuinitus patefactæ deflecterent atq; recederent, quòd aliquid **IN NOBIS** quærendum esse iudicarent, quod sit iusticia & propter quod iustificemur coram **DEO**, quòdq; non agnoscerent infinitum esse discrimen inter id, propter quod Deo reconciliantur & quo placemus, ac inter id, quod diuinitas in nobis operatur ac efficit.

Hinc Pharisei, Origenes, Pelagius, Monachi, existimantes iusticiam coram Deo esse mutationem qualitatum in nobis, somniarunt se suis operibus & meritis in cælum ascendere, perinde vt in tabula Cebetis ascensus in verticem montis pingitur. Hinc & Osiander, Stenckfeldius, Thammerus, & similes Enthusiastæ vel ipsum Deum habitantem in nobis, vel aliquid diuino quodam motu & afflatu peculiariter nobis impressum ac infusum somniant esse nostram coram Deo iusticiam, nec vident in tanta nostra immundicie & peccatorum mole nequaquam posse nos opponere iræ & iudicio Dei excellentes virtutes, nobis diuinitus donatas, & vt ipsi imaginantur, vel infusas, vel impressas, sed oportere fidem perpetuò niti Mediatoris obedientia, & hanc in infinitum anteferrì toti sanctificationi & nouitati, quæ in salutari conuersione ad Deum incoatur.

Nec

Nec dissimilia sunt his Papistarum & Enthusiastarum speculationibus ea deliramenta, quæ Flacius & Flacianus de conuersione & iustificatione coram Deo proximis his annis ausi sunt fingere, spargere & propugnare. Ac Flacij quidem furores in hac parte doctrinæ manifestiores sunt ac tetriores. Hæc enim absurda, monstrosa, *δύσφημα, καὶ βέβηλα* esse omnes sani intelligunt, quod rabiosè contendit: Hominem ante conuersionem, in conuersione, & post conuersionem non solum sese passiuè instar trunci aut scopuli, sed etiam aduersatiuè, repugnatiuè, & hostiliter habere, tantum ideo, ut possit primam quandam iustificationem fingere, quæ fiat in conuersione seu regeneratione miraculosa, insensibili, & momentanea, quæq; nihil differat ab impressione facta per omnipotentem creationem & implantationem noui cordis, ad violenter nos siue cogendos siue rapiendos, ut efficaci applicatione, in hoc Enthusiastico iustificationis actu, cui certum initium & certam metam intra breue tempus tribuit, obedientia Christi nobis à solo Deo imputetur ac donetur. Secundariam enim iustificationem ab hac primaria sic discernit, ut dicat eam per omnem vitam fieri in his, qui sunt in Christo Iesu, nec contingere, nisi præcesserit illa prior Enthusiastica, cui momentum & actum certum constituit, ideoque quasi diuellens primam conuersionem à iustificatione secundaria, id est, ut ipse loquitur, à confectione peccatorum & imputatione iusticiæ, negat hominem iustificari ante primam conuersionem, id est, violentam illam & certis temporum momentis inclusam impressionem.

Quid: quod in descriptione iustificationis à gratuita remissione peccatorum, & imputatione iusticiæ seu

F

obedi

obediētiæ filij Dei, tanquā effectum seu fructum iustitiæ fidei, discernit ac separat reconciliationem nostri cū Deo, quam nomine fauoris & adoptionis in filios, ac hæredes vitæ æternæ appellat, intelligens acceptationem & approbationem personæ coram Deo. Quæ portenta cum audacter & furiosè fingat, Quomodo iustificatio ipsi non erit Enthusiastica quædam transformatio seu immutatio & renouatio trunci repugnantis & aduersantis? sicut expressè mentionem facit omnipotentis creationis & implantationis miraculosæ noui cordis ac fidei, qua primo iustificamur, seu per quam primaria iustificatio nobis applicetur, vtq; possit efficax esse seu operari, tanquam in actum suum producat.

Assectæ vero & Thiasotæ Flacij reipsa idem sentiunt ac dicunt, sed interdum minus horridè ac prodigiosè loquuntur, etsi suos Enthusiasticos furores nimis sæpe velut ostentant & palam produnt. Quoties enim hæc *δαύματα ἡμᾶτων καὶ σφιγγὸς ἀνήγματα* præstigiatores isti repetunt? Contritionem meram esse passionem, seu passiuitatem, ideoq; non posse nec debere recenseri eam inter nostra bona opera, Nec bonum propositum recte nominari bonum opus, quia, quatenus significet odium ac detestationem peccati, esse partem contritionis, seu mortificationis naturæ nostræ, quæ à Spiritu sancto efficitur, vt in corde locum fidei iustificanti præparet. Ipsam quoque mentis regenerationem & renouationem ideo esse solius Spiritus sancti opera, quia præcedant fructus fidei, id est, iustificati hominis bona opera.

In secunda parte poenitiæ, seu, in articulo iustificationis tantum in vrceolos vacuos in fundi plenitudinem gratiæ, Iustificari impiū sine operibus, eo quod in
con

conuersione seu regeneratione miraculosa certum sit in
cor ipsius infundi fidē, id est, Deū solum in ipso operari
contritionem & fidem. Bona opera nostra in articulo
iustificationis esse **NIHIL** negatiuum & priuatiuum.
Certò eripi morituris omnem certitudinem & consolati-
onem, si doceatur necessitatem & præsentiam bonorū
operū per doctrinam de iustificatione & fide non prorsus
excludi. Non esse distinguendum inter præsentiam
operum in actu iustificationis, Et inter meritum, virtutē,
& efficaciam ad iustificationem: Esse aliam fidem iustifi-
cantem, aliam operantem. Dictum Iacobi Apostoli,
de fide sine operibus mortua, intelligendum esse de
ACTV SEQVENTE iustificationem. Bona
opera ex lege æstimanda esse, Ideoq; legem & opera nis-
hil prorsus pertinere ad actum iustificationis.

In articulo de iustificatione hominis coram Deo sola
fides, nullis vestitam operibus, impetrare à Deo
iustificationem, non vt perpetuò sola maneat, sed vt de-
inde fructus pariat. Non prorsus extra nos esse iusticia-
am Christi. Licet nulla sint præsentia opera, tamen
veram fidem iustificare, quia meritum Christi abundē
sufficiat ad omnem iustificationem. Peccatum & re-
missionem Christi esse correlatiua, cum necesse sit in ar-
ticulo iustificationis opponi peccatorem & misericordi-
am. Exclusiuas, cum à Paulo traditas, tum in scrip-
tis Augustanæ confessioni consentaneis sæpe repeti-
tas, non solum excludere à iustificatione nostram, vt
Apostolus loquitur, coram **DEO** gloriationem, id est,
opinionem & fiduciam nostri meriti, seu conditionem
propriæ dignitatis, sed simul etiam excludere, reijcere,
ac damnare necessitatem obediendi Deo, conatum &
luctam in conuersione, seu, vt ipsi loquuntur, vim om-

nem liberi arbitrii, incoationem boni propositi & nouitatis spiritalis, ita ne in articulo & actu iustificationis, adsint vlla bona opera, sed vt fides in articulo & actu iustificationis sit sine bono proposito, quod initium est nouæ obedientiæ, & sine bonis operibus nostris. Eos qui contendunt particulas exclusiuas tantum adimere causam, meritum, dignitatem, precium, gloriationem, fiduciam, medium applicationis, & efficaciam operibus, quoad iustificationem, non autem excludere omnem omnino operum præsentiam vnà cum bene operandi necessitate, non parum obscurare grauissimas Apostolorum conciones &c.

Horresco referens & valde doleo tam tetras voces hinc repetendas esse, quæ manifeste ostendunt cogitare ipsos de iustificatione, vt de actu momentaneo, insensibili, & Enthusiastico, id est, quo fiat infusio, seu, impressio, seu, implantatio nouæ lucis & fidei in cor hominis insensibiliter, sine vlla lucta fidei assentientis promissioni, sine sensu consolationis, sine precatatione, & omnino sic, vt nihil eorum adsit, quæ in conuersione adesse & simul accendi necesse est.

Etsi autem angustia temporis huius non patitur nos prolixam refutationem instituire, quam quidem non paucis scriptis & disputationibus hinc publicè editis luculenter ac eruditè monstrari scitis: tamen quia non desinunt isti Sycophantæ confictis accusationibus nos allatrare, cum sonamus & proponimus hanc ipsam explicationem & de modo iustificationis, & de natia vi particularum exclusiuarum, veram & simplicem, quam tu Doctissime Magister Christophore, compater & amice carissime, nunc breuiter ac rectè recitasti, Horabor tantum iuuentutem nostram Scholasticam, vt &
vberios

vberiores declarationes alibi à nobis traditas legat, diligenterq; consideret, & planam, perspicuam & perpetuam harum Ecclesiarum vocem cum Enthusiasticis & Antinomicis desertorum Academiae nostrae corruptelis conferat.

Nequaquam agnoscimus propositionem, qua & caeteri Flaciani & nuper HESHVSIUS contra suam conscientiam maliciose nos suggillant: Bona, scilicet opera esse necessaria in actu iustificationis, necessitate praesentiae. Haec portenta verborum nequaquam nostra sunt, Nec, quid sibi velint haec *κοινοφωνία καὶ τερατολογία*, satis assequimur. Illud autē & antea semper diximus, & nunc quoq; clara voce testamur: In omni quaestione & disputatione de CAVSA IUSTIFICATIONIS, seu iusticiae nostrae coram DEO, omnia opera nostra penitus ab hac excludenda, id est, ita remouenda, seu abijcienda esse, vt ne quidem vlla eorum mentio facienda sit, cum quaeritur PROPTER QUID & QVA RE coram Deo iusti, seu, accepti simus.

Diximus & hoc saepissime: Nulla vel monstrari vel nominari opera posse, siue diuinitus accensa, siue nostro aliquo conatu excitata in nobis, siue fidem ac iustificationem praecedentia, siue subsequentia seu comitantia, Aut, vt Papistae distinguunt, siue legis opera, siue Gratiae: quae vel sentiamus vel concedamus vllam habere rationem meriti, seu causae aut principalis, aut minus principalis, aut totalis, aut partialis nostrae coram Deo iusticiae, seu, iustificationis & saluationis.

Modum vero iustificationis, seu receptionis in gratiam simpliciter ac sine vlla Sophistica exponentes, vt ex tua, Magister Christophore, oratione perspicere

F iij tuit,

tuit, clarè & constanter asseueramus, nullo modo vel ipsam conuersionem ad D E V M, vel vllam huius partem esse diuellendam à Fide iustificante, Quæ vt solam Mediatoris obedientiam statuit esse ἀντίλυτρον, seu precium & meritum pro nostris peccatis, sic semper hac sola nititur, sic propter hanc solam statuit personam placere Deo, sic hanc in infinitum & perpetuò discernit à nouitate, quam filius D E I ac Spiritus sanctus in renascentibus incoant, cum quicquid est in homine conuerso nouitatis, ideo placeat Deo, quia personam iam antea propter Mediatorem gratis est reconciliata & accepta.

Impudens ergo Sophistica est, particulas exclusiuas propriè pertinentes ad hanc Quæstionem, D E C A V S A P R O P T E R Q V A M iusti coram D E O pronunciamur, eò detorquere, quasi hæ occasionem & argumentum præbeant, vt falsis & perniciosis imaginationibus corrumpatur salutaris doctrina de pœnitentia, aut vt fingatur vllam partem veræ conuersionis aboleri, seu, excludi particulis illis, ita N E A D S I T, id est, ne præsentia sua iusticiæ fidei officiat, vel impedimentum sit aliquod nostræ coram D E O iustificationis.

Ac iudicamus omnino mente captos esse & plane furere F L A C I A N O S, cum has Pauli voces, tam claras & expressas: sine lege: sine operibus legis: aliter interpretari student, quàm ipse Apostolus eas enarrat, inquit: Ex operibus legis non iustificatur omnis caro. Gloriatio exclusa est per doctrinam de fide. Abrahã habet gloriam propriæ iusticiæ, sed non coram Deo. Operanti merces imputatur non secundum gratiam. Ideo ex fide iustificamur, vt secundum gratiam firma
sit

fit promissio. Per vnus obedientiam iusti constituuntur multi. Non est volentis neq; currentis, sed Dei misericordis. Non ex nobis, non ex operibus, ne quis gloriatur. Non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi. Non ex operibus iusticiae, quae nos fecimus. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus.

Cur praestigiatores isti confundunt discrimen inter sacrificium, seu, meritum filij Dei, quod solum fides omni tempore intuetur, vt vnicam causam propter quam recipimur in gratiam, & qua perpetuo sumus accepti, & inter ea, quae Spiritus sanctus in nobis efficit in conuersione per ministerium verbi: perinde ac si statuendum sit, propter eas, de quibus ipsi loquuntur, infusiones, seu, impressiones, seu, implantationes, personam coram Deo iustam, id est, reconciliatam esse Deo, & non esse iustam propter intercessionem & meritum, seu, obedientiam filij DEI, quae fides apprehendit? At nos firmissimè retineamus veram declarationem huius propositionis: SOLA FIDE iustificamur, & SINE OPERIBVS: quam necesse est illustrari per hanc correlatiuam orationem, scilicet: propter obedientiam & meritum filij Dei, ideo nobis in promissione gratiae ostensi, vt agnoscat & apprehendatur fide, reputamur & sumus coram Deo iusti, non propter dignitatem vel diuinarum in nobis effectio- num, vel nostrorum conatum & operum, siue praecedant fidem, siue sequantur eam, siue in conuersione simul cum fide accendantur, siue fidei praelucenti tanquam comites adiungantur & adhæreant: si Christo debet proprius honos, & integra gloria redemptionis ac liberationis tribui, si certitudo promissionis ac fidei retineri

tineri debet, si accendi & fieri debet inuocatio, quæ nulla potest esse, cum mens deducitur ad cogitationem de momento incognito & insensibili. Certè fidem iustificantem oportet etiam post impressionem, seu infusionem nouorum, siue habituū, siue donorum. (Nam phrasin Papisticam hoc loco non abiiciunt Antagonistæ nostri) semper intueri et accipere solam Mediatrix iusticiam: & hanc imputatam nobis immensa Dei misericordia iusticiam, vt ea in iudicio Dei vestiamur, & tanquã umbraculo tegamur, in infinitum anteferre toti choro virtutum & actionum, quæ diuinitus accenduntur, & fiunt in renascentibus ad vitam æternam, quia manēt in sanctis etiam reliquiae peccati & sordes multiplices, & inchoata nouitas imbecillis est, & languida, quæ perpetuo tegitur iusticia filij Dei, & placet Deo, quia persona propter Christum placet.

Hanc verissimam & planissimam tantæ rei explanationem, ne nunc quidem possumus abiicere, sed vtraq; manu vel potius toto pectore sumus eam retenturi deinceps etiam, Quia scimus hunc & fuisse & esse perpetuum consensum nostrarum Ecclesiarū, cum natia Pauli Apostoli de iustificatione sententia prorsus congruentem. Enthusiasticis autem & Antinomicis Flacianorum furoribus, quibus Exclusiuas à Paulo traditas referunt non ad iudicium conscientiae nostrae de voluntate Dei in Euangelio patefacta, sed ad arcanam praedestinationem, discentes opponere iubemus immortam vocem diuini iuramenti: *Viuo ego, Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.*

Quàm turpis & impudens Sophistica est desertorum nostrae congregationis, quod exclusiuas in Paulo toties repetitas furenter audent detorquere ad labefactandam

factandam veritatem et certitudinem diuinæ promissionis, & quidem iureiurando confirmatæ, quæ expressè coniungens conuersionem & vitam, oratione copulatiua vtrunq; affirmat, & velle **DEVM** fieri conuersionem, & ijs qui conuertuntur, promittere viuificationem, Quam si in articulo & actu iustificationis Antagonistæ nostri fingunt esse sine initijs timoris Dei, & fidei luctantis cum paoribus, dubitatione, ac desperatione, sine inuocatione, sine bono proposito, sine initijs obedientiæ nouæ, necesse est, vt fateantur se fingere, quod iusticia Filij Dei donetur, imputetur & applicetur in quodam momēto insensibili & Enthusiastico, nondum verè conuersis ad Deum, sed adhuc perseverantibus in impietate, & aduersa fronte Deo repugnantibus cumulandis delictis contra conscientiam. Istum furorem omnes, quorum animis hæret infixum iusiurandum **DEI** Ezechiel. 33. execrabuntur, nec persuaderi sibi vllis opinionum commentis patientur, verum esse istud Antinomicum dogma: Quod iustificari, seu, reconciliari **DEO**, & viuificari possit homo, si pergat indulgere sceleribus contra conscientiam, si sit sine agnitione peccati, sine sensu iræ Dei, si non agnoscat & apprehendat fide Mediatorem filium Dei & ipsius ingentia beneficia, & si hæc fides non luctetur cum paoribus & fluctibus dubitationum, sicut ostendunt exempla Davidis, Ezechia & aliorum verè poenitentium. Deniq; si non coniungere velit cum fide accipiente & petente gratiam, seu gratuitam misericordiam, propositum emendandi vitam & cauendi lapsus voluntarios.

Nec tamen negamus totum opus conuersionis esse solius Dei beneficiū, sicut Propheta clamitat: Conuerte

G

me

me Domine, & conuertar: Sed in hoc beneficio considerari volumus ordinem diuina voce præscriptum, quo perspicuè monstratur, Sic fieri conuersionem in nobis, vt Spiritui sancto trahenti, mouenti, & agenti per verbum necesse sit voluntatem humanam, quatenus incipit sanari, non repugnare, sed assentiri & obsequi, atque ita discipulum, comitem, & quasi pedissequam esse Spiritus sancti docentis, ac ducentis, neq; hominem, cum reagitur & adiuuatur à Spiritu sancto, habere sese purè passiuè, vt truncum & scopulum. Quomodo enim fieret conuersio & sanctificatio, voluntate hominis vel omnino repugnante vel prorsus ociosa? Nisi fortassis ideò præstigiatores illi infusionem plenitudinis gratiæ tantum in vrceolos vacuos fieri fingunt, vt moestis conscientijs eripiatur certitudo, dum dubitationum quasi fluctibus turbata, sensum efficaciam Spiritus sancti nondum percipiunt, vtque profanitas confirmetur in maxima multitudine, quæ cum momentum istud subitæ cuiusdam siue impressionis, siue infusionis, siue implantationis imaginatione concipit, à verbo Dei mox abducitur ad quærendos & expectandos motus à Spiritu sancto impressos, & securius interim suis furoribus indulget, donec sentiat à Spiritu sancto se rapi, seu cogi ad conuersionem.

Vt autem his Enthusiasticis speculationibus experientiam spirituali manifestè repugnantibus euertitur ordo, quo vult Deus efficax esse per verbum, & tollitur vsus ministerij ac certitudo doctrinæ: Ita sciant auditores nostri, plane nouam, & scripturæ sacræ ignotam, & à perpetuo Ecclesiæ Christi consensu prorsus abhorrentem & alienam esse doctrinam, quam de conuersione Elaciani afferunt.

Nihil

Nihil dicunt, quomodo in cōuerfione, seu pœnitentia horrendi pauores exiftant, nobis audientibus & cogitantibus verbum in ministerio fonans, & Spiritu sancto arguente peccata per ministeriũ, & conscientias accusante, vt intelligãt ac sentiant, se coram Deo verè reas esse iræ ac damnationis æternæ. Nihil dicunt de lucta conscientiæ quærentis consolationem. Non docent, quomodo doloribus in præsentí lucta repugnandum fit, nec ostendũt, quomodo consolatio vincens terrores, peccati & mortis, seu dolores inferorum, accendatur, monstrato Mediatore voce Euangelij, & corde auxilio Spiritus sancti sese erigente, vt cogitationi promissionis immoretur, & huic innitens quamuis languidè promissam propter Christum misericordiam apprehendat. Nihil etiam dicunt de immutabili ordine, quo incoanda est nouitas spiritalis, seu obedientia noua, quæ hoc modo & non aliter accenditur, cum scilicet fide eluctante ex pauoribus, & acquiescente in Deo, & clamante Abba Pater, petimus & accipimus Spiritum sanctum, incoantem nouos motus, & mutationem salutarem in nostris cordibus, vt emendetur labes naturæ nostræ, & vetustas carnis tanquam in assidua militia retinentium fidem & bonam conscientiam mortificetur, etiamsi nec subito, nec prorsus, lapideum cor de carne nostra excindatur & auferratur, remanentibus adhuc multis tristibus in hac vita peccati reliquijs, quibus tamen adiuuante Spiritu sancto assiduè renati repugnare debent. De tantis igitur rebus cum in hac doctrinæ parte nihil dicant, nihil explicatè doceant, imò præstigijs & labyrinthis inextricabilibus inuoluere & obruere rectè & planissimè tradita studeant desertores nostræ congregationis, An non meridiana luce clarius est, ab ipsis labefactari

G ij &

& euerſi totum conuerſionis ordinem, quo vult Deus à nobis audiri verbum, & per hoc in adultis efficax eſſe accedente cogitatione et aſſenſione, Tolli item & aboleri vocem doctrinæ Euangelij, hominibus à ministerio verbi abductis ad Enthuſiaſticas imaginationes de incerto auxilio Spiritus ſancti, paucos quosdam homines diuino ſuo raptu conuertentis.

Hinc cum manifeſtum ſit, noſtrarum Eccleſiarum explicatiſſimam, & efficaciſſimarum conſolationum plenam, experientia item ſpirituſali, ſeu vero iudicio, teſtimonioq; piarum conſcientiarum in quotidianis pœnitentiæ exercitijs, certiſſimam de conuerſione doctrinam corrumpi totam, ſi Flacianorum perplexiſſimis atq; intricatiſſimis labyrinthis inuoluatur: cogitent & ſciant etiam auditores noſtri cane peius & angue fugienda eſſe eorundem quoq; Enthuſiaſtica & Antinomia deliramenta de iuſtificatione, Quæ quidem non dubium eſt inde oriri, ſeu enaſci.

Quod modum noſtræ coram Deo iuſtificationis iſti prorfus diuellunt ab ea, de qua vox iuramenti diuini ſeueriſſimè præcipit, ad Deum; conuerſione, nec intelligunt in ipſa conuerſione & non aliter fieri iuſtificationem ac viuificationem.

Quod Formale iuſtificationis ſeu noſtræ coram Deo iuſticiæ non agnoſcunt, neq; conſiderant eſſe gratuitam remiſſionem peccatorum, & reconciliationem cum Deo, imputationem iuſticiæ, & acceptationem ad vitam æternam, quam non in Vrceolos vacuos infundi, ſed fide, id eſt, fiducia Mediatoris apprehendi, & accipi, & hoc modo applicationem ſalutarem fieri à ſingulis verè pœnitentiam agentibus oportet.

Præterea quod non cogitant vnum & eundem eſſe
modum

modum iustificationis vniuersaliter in omnibus, qui propter Mediatorem gratis pronunciantur iusti, id est, accepti Deo.

Quod non satis attendunt, & conuersione & iustificatione non momentanea & subito desinente, sed continua & perpetua singulis hominibus in hac vita opus esse, vt tota renatorum vita nihil aliud sit, quam continuum & perpetuum exercitium poenitentiae & fidei iustificantis, id est, assidue petentis & accipientis promissam in Euangelio remissionem, sicut iubet nos orare Dominus, Et remitte nobis debita nostra, & Psalmus precari docet, pro hac orabit ad te omnis sanctus. Item, Apostoli vox: Gratia regnat per iusticiam in vitam aeternam &c. Adhaec quod non videre volunt prorsus eadem ratione personam credentis fieri, esse & manere iustam, id est, propter obedientiam & meritum Mediatoris, siue initio verae conuersionis, siue postea, cum accepto Spiritu sancto nouitas spiritualis augetur & crescit, iuxta dictum Prouerb. 4. Via iustorum sicut aurora, quae crescit usque ad meridiem. Ita quantumuis accensae sint & luceant in Abraham renato multae virtutes excellentes, recte tamen pronunciat de iusticia Abrahamae coram Deo Paulus ex verbis Psalmi: Beatitude esse illius hominis, cui DEVS imputat iusticiam sine operibus &c. Quod ne quidem naturam & definitionem verae fidei considerare ac discere student, dum non attendunt & in conuersione & in omni consolatione, & in quotidiana inuocatione fidem nihilominus in NOBIS quaerere, quod iusticiae, seu iudicio & irae Dei opponat, nec niti posse vel contritionis & abiectiois mali propositi, vel mortificationem sequentis & in ipsa viuificatione diuinitus accensae

G iij sa

ſæ lucis & nouitatis dignitate, ſed tantum intueri propi-
ciatorem filium Dei, & in hoc acquieſcere, ac ſtatuerè,
ſe propter ipſius meritum debere in vniuerſa vita ſem-
per à Deo petere, & expectare gratuitam iuſtificationem,
id eſt, remiſſionem peccatorum & reconciliatio-
nem, ſeu, acceptationem & omnia alia bona cum æterna
tùm corporalia.

Item quod non intelligunt aut perpendunt, fidem
iuſtificantem, quam & ipſi fateri coguntur eſſe viuum
motum cordis accenſum à ſpiritu ſancto, nullo vnquam
momento ſtare, ſeu coniungi poſſe cum ſclerato Dei
contemptu & propoſito cumulandi delicta, nec exiſtere
eam aut accendi ſolam, id eſt, quaſi diſtractam & diuul-
ſam à reliquo choro neceſſariarum virtutum, cum cer-
tum ſit ſimul fieri, & iuſtificationem et viuificationem in
vera conuerſione ad Deum, vt iuſtus, iuxta dictũ Pro-
pheticum toties à Paulo citatum, fide ſua viuat.

Deniq; quod non propius & diligentius intuentur
ſcripturæ testimonia de modo iuſtificationis, quæ mani-
feſtũ eſt de peccatoris agentis pœnitentiam et credentis
Euangelio iuſtificatione ſeu iuſticia coram Deo loqui.

Quodq; non attentè conſiderant exempla Mulieris
peccatricis, Publicani Lucae 18. Zachæi, & Latronis in
cruce emendati, qui etſi recipiuntur immenſa miſeri-
cordia, ne habentes quidem ante conuerſionem decus
& laudem honeſtæ diſciplinæ, quæ conſpicitur in alijs
melius moratis, vt in Abraham, Nicodemo, Paulo, tamẽ
non perfeuerant in propoſito peccandi, nec in abiectio-
ne mali propoſiti ſunt ſine conuerſione illa, cui promit-
titur apud Ezechielem viuificatio: Nec accenduntur &
lucent in eis initia fidei & inuocationis, à Deo gratuitam
remiſſionem peccatorum & iuſtificationem petentis,
absq;

absq̄ vlla incoatione boni propositi, & Spiritualis no-
uitatis.

Nec̄ enim hoc agitur, cū Paulus dimicans de
particula gratis, decernit FID E nos iustificari SINE
OPERIBVS LEGIS, vt confirmentur Enthus-
iastica & Antinomica somnia, quibus fingitur: non, ius-
tificari nos, quod remissio gratuita sit & accipienda
fide, quæ nititur obedientia Mediatoris, propter quem
habemus remissionem peccatorum & acceptationem:
sed quod corda nostra iā sint diuino motu seu flatu ac-
censa, nec regantur amplius humana diligentia. Item,
propterea tolli meritū, quia nos nihil agamus, cum so-
la fide accipimus & apprehendimus Christi benefici-
um, & quia tunc necesse sit excludi cæteras virtutes,
ne adsint: sed id vnum verissimè agitur, & de hoc,
quanta potest contentione pugnat Apostolus, vt statua-
mus nos propter vnus Mediatoris obedientiam consti-
tui & pronunciarī iustos, id est, Deo placentes, acce-
pta remissione peccatorum & reconciliatione gratui-
ta. Quæ acceptio fit fide consolante & erigente cor in
veris pauoribus, vt statuatur se recipi immensa misericor-
dia propter obedientiam filij Dei nobis imputatam.
Cumq̄ perpetuò vera sit propositio: In conuersione &
post conuersionem semper in hac vita personam SO-
LA FID E, id est, per misericordiam propter filium
Dei, non propter propriam dignitatem coram Deo ius-
tam, seu acceptam esse: Manet tamen æterna & im-
mota veritas, quod oporteat in vera cōuersione ad De-
um accendi non solam fidem, sed simul incoari initia bo-
ni propositi & nouæ obedientiæ, iuxta illud: Qui non
diligit, manet in morte: Vnde manifestum est, fidem
quæ perpetuò præluceat cæteris virtutibus, quia Media-
torem

tozem apprahendit, tanquam vmbra culum nos amplex
ctens & sordes nostras tegens, nunquam esse solam, id
est, re ipsa separatam aut diuulsam a salutaribus verae poe
nitentiae motibus, ac exercitijs, sed dato Spiritu sancto,
vt motus conuenientes voluntati diuinae, scilicet, dilectio
nem Dei & bonum propositum, in nobis accendat, fide
dem iustificantem, id est, acquiescentem in Mediatore,
cuius obedientiam nobis applicat, magis magisque accen
di, & vincere pauores, & clamare Abba Pater, id est, in
uocare Deum, & agnita misericordia nos Deo subijce
re: Quantumuis aliud sit loqui de illa renouatione, ali
ud de causa, propter quam persona prius accipit remissi
onem peccatorum, seu de modo, quo accedimus ad
Deum.

Prouocamus ad omnes, qui exercitia poenitentiae &
inuocationis intelligunt. Nam hi fatebuntur acquies
cendum esse in solo Mediatore, etiamsi necessario con
iuncta sit cum gratuita remissione peccatorum, & re
conciliatione spiritualis nouitas, quia sciunt fidem eo
ipso, quod extensis brachijs (vt reuerendae memoriae D.
Doct. Lutheri verbis utar) amplectitur laeta Filium Dei
pro nobis traditum, & dicit: Dilectus meus mihi & ego
illi, esse illam ipsam rem, quae est initium nouitatis, &
qua viuificamur ad vitam aeternam, vt dicitur: Iustus fi
de sua uiuit. Proinde non poterunt non vanitatem So
phismatis Flaciani, quod inquit, excludi non tantum me
ritum & dignitatem, sed etiam praesentiam bonorum
operum, & necessitatem bene operandi: cum statuunt
etiam post conuersionem iustam esse personam, id est,
acceptam Deo ad vitam aeternam, non propter propri
am mundiciem, seu dignitatem virtutum, qualitatum
aut operum, sed per misericordiam sola fide, id est, fidu
cia

cia solius Mediatoris, quæ perpetuò luctatur cum dubi-
tatione & imbecillitate, nec existit nisi in pœnitentia, &
tamen in hac sanans, erigens, & ad Deum adducens, ac
Mediatori adiungens corda contrita, simul accendit ea
ad inuocationem & ad studium benè operandi. Certè
aliud est, cum dicitur: Sola fide nos iustificari, & aliud
cum dicitur: Non iustificare fidem nisi sit sola, id est, si-
ne bonis operibus, sicut aliud est quærere, quæ sit illa ius-
ticia, quam propriè fides iustificans intuetur, & appræ-
hensam in omnibus pauoribus ac tentationibus oppo-
nit iudicio Dei, & aliud quærere, An fiducia acquiescens
in Deo, & erigens corda in veris doloribus, possit
esse sine dilectione Dei, sine inuocatione, sine spe salutis
æternæ, cum sit motus clamans Abba Pater.

Hæc quiuis sanæ mentis homo perspicere & iudica-
re potest, præsertim si consideret causas, propter quas
firmissimè retinentur in nostris Ecclesijs exclusiua par-
ticulæ. Si quis verò somniat fidem à cæteris virtutibus,
quibus perpetuò prælucere debet, re ipsa posse distrahi,
& imaginatur viuificationem, in qua filius Dei corda
nostra liberat ex doloribus inferorum, & dat nobis de
suo Spiritu, esse sine initijs boni propositi, dilectionis, &
obedienciæ nouæ, nec intelligit, non successione tempo-
ris, sed ordine tantum naturæ & officijs proprijs distin-
gui fidem ac alios Spiritus sancti motus: Item qui non
discerni vult inter causam iustificationis & beneficium
immutabili ordine, seu, necessario cum ea coniunctum,
item inter meritum seu precium, & inter debitum, seu
necessitatem debiti. Deniq; inter id, quod Deus per Spi-
ritum sanctum in nobis operatur ac efficit, & inter iustis-
ciam Mediatoris, quæ credenti gratis imputatur, Et qua
sola nititur fides iustificans, id est, statuens nos propter

H

eam

eam reconciliari, seu recipi, & placere Deo: is vere, se-
cundum Apostoli verba, *τεπύρωται, μηδὲν ἐπισάμψθη,*
ἀλλὰ νοσῶν πρὶ ζήτησας καὶ λογαχίας, δὲ ὧν γίνεται φθόνος,
ἔρις, βλασφημία, ὑπονοία πονηραί, καὶ πρᾶδιατριβαὶ διεφθαρμέ-
νων ἀνθρώπων τῶν νῦν, καὶ ἀπεσοδημῶν τῆς ἀληθείας εἶς.

Sed propter temporis angustiam, & ne huic amplis-
simo congressui prolixior commemoratio sit molesta,
nunc volens abrumpo respōsionem. Quid enim attinet,
monstratis mediocri perspicuitate, veræ sententiæ solis
dis fundamentis diluere frigidissimas & icuinissimas cas-
uillationes hominum, vanissimis partim Enthusiasticas
rum, partim Antinomiarum opinionum præstigijs atq;
spectris fascinatorum, cum de his auditores nostri in les-
ctionibus publicis sæpe moneantur, & si qui volunt, ius-
tas explicationes ac refutationes sophismatum talium
legere possint in postremis scriptis **ACTORVM**
collationis ante biennium **ALDENBURGI** de
hac parte doctrinæ institutæ.

Quod restat igitur: Hanc veram, perspicuam &
immutabilem de Iustificatione hominis coram Deo do-
ctrinam, & ab ipsa maiestate diuina iuramento sancis-
tam, cum inquit: *Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mor-
tem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat: quam*
Reuerendi patres & præceptores nostri ex concioni-
bus Christi, Prophetarum & Apostolorum restitue-
runt, qua tenebras regni Pontificij & Monasticæ su-
perstitionis tetram caliginem profligarunt, deinceps
quoq; Deo iuuante contra recentes Enthusiasticos &
Antinomicos furores Flacianorum, qui reipsa & in
fundamento à Monasticis præstigijs & labyrinthis nihil
differunt, constanter retinebimus & tuebimur, quãdiu
spiri

spiritus aliquis in nobis supererit: Et obtestamur omnes
suae aeternaeque salutis cupidos, ut hos tetros furores, qui
doctrinam Euangelij prorsus obruunt, & mentes à Me-
diatore ad sui ipsius contemplationem deducunt, nobis
scum fugiant, auersentur, & execrentur.

Te autem fili DEI, Domine Iesu Christe, qui verè
colligis aeternam Ecclesiam voce Euangelij, intimis ani-
mi gemitibus oro, ut ipse nos doceas, gubernes, ac sanc-
ctifices in veritate tua, eamque illustres, tuearis & vindi-
ces, repressis omnium huic aduersantium impijs furoris
bus. Tu vides quàm tristia sint Ecclesiae horribiliter dis-
sidijs opinionum et Cainicis odijs distractae vulnera, Ti-
bi non est ignota petulantia, rabies ac potentia hypo-
critearum, fanaticorum doctorum, & Tyrannorum. Te
supplex obtestor propter tuam gloriam, ut clementer
nos respicias, nec sinas lucem doctrinae tuo beneficio
nobis rursus accensae obrui ac extingui apud nos ijs
praestigijs & tenebris, quae eidem magno multorum
conatu offunduntur. Tu conserua & confirma nos Spi-
ritu sancto tuo in vera agnitione & confessione Euan-
gelij, & fac ut in te multi nobiscum vnum sint, sicut eter-
nus Pater & tu vnum estis. Tu deleas mendacia &
blasphemias, quas Cyclopica profanitate con-
tra te multi & dicunt & defendere
conantur.

τῷ θεῷ δόξα.

In vltima facie G. linea 8. à fine, lege, Proinde non
poterunt non detestari vanitatem.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



99 7 247

ULB Halle


002 039 605

3



Nur für den Lesesaal





DE
ET

HABIT
MAGISTR
publico, &
bergenfi D
cum Q
vi

ADDIT
STICIA FI
tur coram De
rum exclusiva
scuranti & per
gelij, quam

Cum re

Excude

IS
M

VIRO,
SSORE
Vvitez
n publi
ctis

E IV
IFICE
particulas
rum ob
ilo Evans
Pontis

An

80

